DE ANNI INTEGRA IN INTEGRVM RESTITVTIONE.

VNA CVM APOLOGIA quæ eſt *Sacrorum temporum aſſertio.*

Hugolini Martelli Epiſcopi Glandatenſis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



LVGDVNI,

Ex Officina Franciſci Conrardi.

M. D. LXXXII.

Cum Licentia, & Priuilegio.

ARGVMENTVM HVIVS LIBELLI.

IN correctione Anni cum certú ſit demere aliquot dies, dubium autem, decémne, vt cum temporibus Nicænæ ſynodi, an potius treſdecim, vel quatuordecim demendi ſint, vt cum temporibus antiquioribus conſentiamus: Auctor probare adnititur, Antiquiora tempora reſtituenda potius eſſe, quàm Nicæniana.

Capita, quæ in eo potiſſima continentur.

SAcrorum locorum, ac temporum neglectionem cauſam eſſe non minimam cur tot, ac tantis calamitatibus reſpublica Christiana modo conflictetur. I.

2. *Merito lætari poſſe nunc omnes bonos, quòd & loca ſacra repurgari videant, & tempora ſacra mox reſtituenda ſperent.*

3. *Quamobrem tempora ſacra reſtituenda ſint: &, quid in hac reſtitutione auctor expectari à ſe velit.*

4. *Qui ſit totius controuerſiæ ſtatus, & in controuerſia quæ ſententia defendatur.*

5. *Errorem in feſtis immobilibus, ſi in illis error admittatur, curandum eſſe, perinde atque errorem in feſtis mobilibus admitti, & curandum eſſe, aperte omnes clamitant.*

6. *Feſta mobilia, quia mobilia ſunt, loco moueri fortaſſe licere: feſta immobilia, quia immobilia ſunt, mouenda nullo pacto eſſe.*

7. *Feſta paſchalia non habere tempus præſcriptum à Deo præcepto immutabili, ſed mutabili.*

8. *Quòd in feſtis paſchalibus Eccleſia nutarit, diuino factum eſſe conſilio, proinde errorem in ea nutatione nullum eſſe.*

9. *Vt nomine paſchæ alia nonnulla myſtice ſignificata ſunt, ita feſtum illius non habere certum ſuæ celebrationis diem.*

10. *Feſta mobilia, prout eccleſia præcipit: feſta immobilia, prout natura ipſa rerum docet, eſſe celebranda.*

11. *Patere ex ſupradictis peccatum eſſe longe maius errare in feſtis immobilibus, quàm in mobilibus.*

mobilibus.

Errari à nobis in tempore feſtorum immobilium. 12.

Dies eoſdem vel diuerſos quos dici, quáue ratione dici, & dignoſci poſsint. 13.

Si dies tantum decem demantur de Anni ratione, feſtorum immobilium tempora non omnino emendabuntur, ſed ſi dies tredecim demantur, & immobilium, & mobilium tempora ſimul optimè corrigentur. 14.

Salutaria commoda permulta, & quàm maxima, quæ ex correctione feſtorum immobilium ad nos peruenient. 15.

Rurſus, locorum, & temporum ſacrorum obſeruationes mirificè ad religionem pertinere. 16.

Sacrorum locorum, & temporum nullam rationem habendam eſſe cur tantopere contendant hæretici. 17.

Viros pios mirum in modum affici ex locis ſacris, ſacratíſque temporibus. 18.

Certam paſsionis dominicæ diem adhuc nobis non eſſe, & cur Deus occultatam illam nobis voluerit. 19.

Præſtare multò feſta mobilia ad integrum corrigere vnà cum immobilibus, quàm ſola mobilia non plene emendare, & immobilia in aliquo errore relinquere. 20.

Certis diebus aliquanto plus, quàm aliis, di- 21.

uinæ virtutis immitti cælitus in animos noſtros.

22. *Quando nos in eiuſmodi cæleſti virtute recipienda minus diligentes hodie ſumus, minus etiam charitatis igne flagrare nunc, quàm olim Chriſtiani ſoliti erant.*

23. *Sanctorum interceſsiones preſtò quidem nobis eodem pacto ſemper, ſed proficuas eſſe plus vno die quàm alio.*

24. *Patres Nicænos nec annum emendare noluiſſe, nec ſi voluiſſent, emendare potuiſſe.*

25. *Aequinoctium vernum dictum, non eſſe vernum vbique, ac proinde Arietinum potius vocitandum eſſe in rebus eccleſiaſticis poſthac, quàm vernum.*

26. *Cur Chriſtus Dominus noſter, & in vtero virginis humiliari, & in patibulo crucis exaltari voluerit, ſole Arietem ingrediente.*

27. *In emendatione anni, & dierum aliquot demptione, feſtorúmque retroactione, non eadem menſura, ſed eadem proportione incedendum.*

28. *Nouum, atque vbique vnicum Martyrologium eſſe conficiendum: Sanctorúmque commemorationes, quæ fiunt aliquando plures iunctim in eccleſiaſticis officiis, ſæpe diuiſim eſſe faciendas.*

29. *Hæreticos ad Eccleſiæ vnitatem reducere, quatenus in nobis eſt, adniti omnes debere.*

30 *Sancto*

Sanctorum Apoſtolorum potius quàm Pa- 30.
trum Nicænorum tempora reuocanda eſſe.

Perfectum opus eſſe æquinoctium affigere 31.
in Romana, imperfectum in Nicæniana Calendarij ratione.

Romanum Pontificem Romanum calculum 32.
ſequi potius debere, quàm Nicænum, aut Alexandrinum.

Pontificem nomine XIII. non ſine diuino 33.
numine vocatũ, vt treſdecim dierum minutione, annum, & Calendarium in ſuam integritatem reuocaret.

Inſanorum mathematicorum vaticinia de 34.
innouatione ſæculi paulo poſt futura, ad ſanitatem optime reduci poſſe prudentia, & pietate Summi Pontificis noſtri Gregorij.

DE ANNI

INTEGRA
IN INTEGRVM
RESTITVTIONE

Hugolini Martelli Epiſ.
Glandatenſis.

Ad Illuſtriſſimum & Reuerendiſſimum Gulielmum Sirletum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem TT. S. Laurentij in Pane, & Perna.

LOcorvm, ac tempo- 1.
rum, vt in natura, ſic & in religione, Præſul Illuſtriſſime, & Reuerendiſſime, per maxima momẽta eſſe, dubitare nemo poteſt. Nã neque omnis fert omnia tellus, tempeſtatéſq; anni magnam iis, quæ de terra oriuntur, viciſſitudinem afferunt. Diuino autem cultui cum locis, ac temporibus tan-

tum,ni fallor, affinitatis intercedit, vt his vel neglectis, vel minus rite obſeruatis, ipſe cultusquoque minus bene,minúſque religioſe obſeruari poſſe videatur. Elegit enim ſibi loca Deus, vt habitaret nomen eius ibi, & filiis ſuis dedit dies feſtos, &
3. Reg.3. Num.10. Deu. 16. Calendas.Si autem Deus Opt.Max.quem cœli, cœlorúmq; cœli capere nequeunt, quique ante ſæcula,& poſt ſæculorum ſæcula ſemper eſt,ſempérque fuit, ſempérq; idem erit,neque loci, neque temporis intercapedine concluditur vlla, tamen ante quàm filium ſuum vnigenitū increatum & immortalem in mortali carne,& creata anima pro ſalute generis humani mundo reuelaret, certo quodam in terris templo
4.Re.10. Oſe.2.b. 11. ſe,certíſque dierum feſtiuitatibus adorari ab hominibus expetiuit, quanto nunc magis,cùm ipſemet in filij perſona humanitatē noſtram,loco,&tēpore circumſcriptam aſſumpſit,certis in locis,certíſque temporibus ab hominibus coli, venerari, atque adorari voluiſſe credendus eſt? Equidem dum ad ætatis noſtræ calamitates, quæ partim ingruerunt, partim minacius impendent animum aduerto, dum cauſas, cur iuſtiſſimus Deus indignationis ſuæ erga nos noſtra hac ætate ſigna apertiſſima de-

ma dederit, mecum diſquiro, dum multarum, nobiliſſimarúmque prouinciarum ab orthodoxa fide diſceſſionem, quamplurimorúmque hæreticorum per omnes ferè terræ tractus diſſeminationem indignor, dum in cũctis planè Chriſtianorum hominum ordinibus Eccleſiaſticæ dignitatis ſi non cõtemptum, ſaltem paruipenſionem deploro, nihil aliud, in quo verius dolentiúſque ingemiſcam, occurrit, quàm quòd charitas illa, illa inquã, charitas, qua olim Chriſtiani in Deum anhelabant, flagrabántque, in animis noſtris hodie (proh-dolor) penitus refrixit, cur autẽ refrixerit, ſi in ſua exordia retexere cauſas velimus, potiſſimam omnium cauſam, ni me animus fallit, hãc reperiemus, quòd ſacrorum locorum ac temporum legitimus cultus, ſanctáque maiorũ noſtrorum Religio ita ſenſim (labentibus annis) relaxata eſt, vt ab illa priſcorum patrum antiqua, & ſeuera diſciplina quàm longiſſimè, quámque turpiſſime iam abeſſe videatur. Quatenus autem vtraque in re cum noſtra, tum ſuperiorum hominum ætate peccatum ſit, & omnes boni plus vidẽt, quàm ſit opus referre, & alio properat oratio mea (Præſul Reuerendiſſime): tendit enim 2

illo

illo vt gratias primùm agam Deo Omnipotenti, quòd vti Pio V. Pontifici maximo vere piam mentem dedit ſacrorum locorum fœdos abuſus expurgandi, quos iam piorum oculi ferè non poterãt, Qui etiam ſacratiſſimum totius reipublicæ Chriſtianæ caput, & quaſi cunctorum templorum Dei celebratiſſimum templum, ita reuera expurgauit à vitiis, ſanctiſſimis moribus informauit, & cœleſtibus virtutibus exornauit, vt Dominus noſter Ieſus Chriſtus nunc tandem illuc quaſi de exilio remigraſſe comperiatur, ita Gregorio XIII. Domino noſtro, illius in cura Dominici gregis vigilantiſſimo ſucceſſori, ſanctam voluntatem inſpirauit abuſus temporũ tollendi, & corrigendi: Qui huius negotij prouincia tibi demandata prudentiſſimo doctiſſimo, pietatíſque ſtudioſiſſimo viro, certam nobis arrham dedit, propediem nos (Deo adiuuante) temporis omnes lapſus in ſuas ſedes erectos, & conſtabilitos eſſe viſuros. Deinde, vt tibi, & bonis omnibus Chriſtianæ religionis amatoribus ſummopere gratuler, quòd id, quod votis omnibus hiſce quinquaginta annis multo vehementius expetiuimus, quàm ſperare auſi fuiſſemus, tandem virtute,

tute, ac pietate Sanctiſſimi domini noſtri, diligentia & ſedulitate tua (Illuſtriſſime Cardinalis Sirlete) mox adepturos forę confidimus.Et ſanè, cur omnes Eccleſiaſticæ dignitatis inſtaurandæ cupidiores, & diuini cultus ſartitecti exoptatores mirificam voluptatem capiant,cauſa magna eſt.Mitto feſtorum dierum ex antiquo, & Eccleſiaſtico ritu colendorum meliorem rationem in ſacroſanctis ſacrificiis peragendis, in diuinis laudibus decantandis, in verbi Dei prædicationibus audiendis, in orationibus inſtãter feruentérque meditandis, & efferendis, non otioſis in luſibus,non in laſciuis tripudiis,non in fœneratricibus nundinationibus per compita, & per platęas paciſcendis,quę omnia melius antiquis moribus, & viuis exemplis, quàm nouis legibus ad priſtinam, quæ in primitiua Eccleſia diſciplina fuit, reducẽda ſunt:dico tantùm id cuius rei gratia tecum agere inſtitui, errorem in Eccleſiaſtico feſtorum celebrandorum ritu & maximum dolorem ſemper cunctis viris bonis illapſum attuliſſe olim,& maximæ lætitiæ cauſam nunc omnibus Chriſtianis correctum,& emendatum non immeritò futurum. In quo quidem ſancto molimine, ſi

non

non vt faber (nedum architectus) præ tenuitate ingenij mei, aliquid opis afferre poſſum, ſaltem, pro eo quo erga eccleſiam matrem noſtram teneor ſtudio, vt inſpector, & magnificentiſſimi ædificii laudator, accedam. Et tamen ſi quid frugis humeris meis ad aream domini deportari ille, qui facit infantium linguas diſertas, velit, non committam vt mea vel ſocordia vel tarditate minus referta manipulo vno videatur.

Sap. 10.

3. Vetus querela eſt, atque ea non negligenda, errores aliquot magni momenti de celebratione ſanctiſſimi Paſchæ in eccleſia Dei ſenſim irrepſiſſe, qui etſi de fide non ſint (neq; enim dilectam ſuam Deus errare in fide permiſit, aut permittet vnquam) tamen ex minimis, ac ferè in primæua Eccleſia imperceptibilibus adeò paulatim adoleuerunt, vt tolerandi amplius non ſint. Primus error eſt, quòd cùm ex præcepto Dei ſanctum Paſcha celebrari debeat in primo menſe, ſæpenumero accidit, vt in ſecundo celebretur. Alter error eſt, quòd cùm ſacratiſſimum hoc myſterium ex antiquorum ſummorum Pontificum decretis, & Oecumenicorum Cõciliorum canonibus celebrandum ſit intra li

C. noſſe. de conſ. d. 3 c. celebritatem ibidem.

Leo Pa-

tra limites Lunæ prædicti menſis primi 14.& 21.non raro vſu venit, vt Luna vel 25. vel 26.peragatur. ex his duobus erroribus factum eſt,vt ſæpiſſime per dies 35. aberremus à vero tempore, paſchali feſtiuitati præſcripto,ſicuti(ni ſuccurratur actu tum) anno proximo futuro 1579. dubio procul eueniet:Id quod abſurditatis quantum in ſe habeat,quantámque occaſionem Chriſtianæ fidei hoſtibus nos calumniandi,atque irridendi præbeat,nullus noſtrum eſt, qui cum magno dolore, & aliquo pudore non videat. Huic tanto malo remedium aliquod adhiberi ſummi Pontifices abhinc multis annis ſinguli voluiſſent, ſed obſtant inextricabiles difficultates quàm plurimæ:Has omnes ſumma ſua prudentia, atque intelligentia, ſumma ſua apud omnes reipublicæ chriſtianæ Principes gratia, atque auctoritate peruincere poteſt, ac vult ſummus, & egregius paſtor noſter Gregorius, qui in rem præſentem veniens,& peritiſſimorum mathematicorum,philoſophorum, Theologorum ſententiis collectis,diſcuſſis,veriorem,& meliorem eligens,ſingulos Chriſtianos principes benigne,& paterne admonet, atque hortatur,vt ſententiam quoque ſuam ipſi

Pa Epiſ. 62.& 63. Conci. Antioc. cap.1.

tanta

tanta de re dicāt,& operi perquam neceſſario manum admouere non diffugiant, ſibíque etiam rem gratiſſimam facturos eſſe omnes cuiuſcunque ordinis homines præ ſe fert, qui in huiuſmodi negotio aliquid ad ſeſe referent. Equidem imbecillis ingenij mei conſcius,& quantum inter alpeſtres ſaltus diu verſatus homo, & quaſi ſylueſtris effectus,vrbicis viris doctiſſimis, & cultiſſimis nihil indicare poſſit, quod ipſi longe melius non diſpexerint, haud ignarus, de aliis quidem remediis,& tanquam pharmacis, quibus vel æquinoctia cohibeantur, vel Lunæ coitus minus erranter præmonſtrentur, nihil mihi nunc dicendum eſſe iudico: Sed de ſanguinis detractione, quæ in anno facienda neceſſariò eſt, ſi ſanitatem priſtinam recuperare tempus noſtrum volumus, nonnihil (pro mediocritate noſtra)diſſeremus.

4. Erroris,in quo verſamur,cauſæ repertæ ſunt, rationes etiam corrigendi erroris & labore multorum,qui ante noſtra tempora vixerunt, & aliorum noſtra ætate,ac præſertim induſtria, vt audio Aloyſij Lilij doſtiſſimi hominis, adinuentas tenemus, probant omnes, decernit ſanctiſſimus dominus noſter Pontifex ſummus Gregor-

Gregorius & nouum Cyclum eſſe deſcribendum, quo ſolares anni Lunaribus melius coæquentur, atque interlunia certius dignoſcantur: & Æquinoctium ita eſſe affigendum, vt poſthac ſuo loco dimoueri non poſſit: Idem ſummus Pontifex in negotio firmandi æquinoctij conſtitutum apud ſe habere (libello edito) ſignificat dies aliquot de Calendario, quaſi ſuperfluos de corpore humores, ſine dubitatione eſſe minuendos: ſed quot dies, decémne, vel treſdecim tollendi ſint, id verò nondum conſtituiſſe, & aliorum ſuper hac re ſententias requirere videtur. Me, cur dies 13. vel 14. non verò 10. amputandi ſint, rationes nõnullæ vehementer permouent, eas, quaſi talentum creditum, defodere in terra, religio mihi eſt: præſertim, cùm religionem (ſi veri in ſe quid habeant) multum promoturæ; ſin autem, ſtudij certe mei, ac propenſæ erga ſacram Romanam eccleſiam voluntatis teſtes ſint futuræ.

Si quis, arrepto curſu, per loca decliuia 5.
ita præceps feratur, vt tandem ruat in caput, & ex alliſione vulnera quędam oſtentet cruenta, quædã altius inflicta vel non omnino perſentiat, vel, qua ſint in parte, monſtrare non valeat; Accedat medicus

&c exterioribus quidem contuſionibus medicinam ſedulo faciat, intimiora verò vlcera, quæ periculoſiora ſunt, negligat, quam (amabo) ſpem bonam de vulnerati curatione concipere poſſumus? Et ſanè, ſi cutis morbillos diligenter curemus, præcordiorum autem vitia paruifaciamus, ſani quidem, ac rectè valentes videri, ſed re vera nobis eſſe, & aliis ſani, atq; vtiles nulla ratione poſſumus. Habemus temporis periodũ, quæ iuuenili quadam petulantia præcurrẽs, cecidit tandẽ. En luxata membra cum dolore, & tumore nobis oſtendit, accurrimus omnes, vicẽ dolemus omnes, omnes, quod luxum eſt, in ſuos artus reducere molimur, ſed habet miſera ex ruina, & afflictu, exta quoq; interius conuulſa, ac propè diſrupta, cur ceſſamus? cur non fomentis languentẽ excitamus? cur præſentaneis remediis lętalia vulnera curare procraſtinamur? immò verò cur oculis conniuentibus inteſtinam perniciem noſtram peruidemus? Hæc attendant (obſecro) diligenter omnes veræ pietatis cultores, & Chriſtianæ diſciplinæ inſtaurandæ amatores. De feſtorum quidem mobilium luxatione queruntur omnes, omnes in ſuas natiuas ſedes redire illa concupiſcunt, in

aperto

aperto eſt deformitas,& quaſi dolor à cunctis reipublicæ Chriſtianæ membris perſentitur, ſed de ſacrorum ſtatorum conuulſione, quæ (niſi fallor) aliquanto maiorem perniciem religioni Chriſtianæ inferunt,nullus eſt,qui cogitet.

Sed antequàm progrediamur, operæpretium fuerit paulo diligentius explicare,cur feſta fixa,quæ immobilia dicuntur, ſi non ſuo tempore colantur à nobis, periculoſius errare nos faciãt, quàm feſta mobilia extra proprium tempus celebrata. Et prior quidem ratio occurrit, quoniam (vt ipſorũ nomina præ ſe ferunt) feſta mobilia loco moueri poſſunt, & ſi poſſunt,ac poſſe licet, non multũ incommodi accedet,ſi iſto potius, quàm illo tẽpore colantur, at feſta immobilia, quia immobilia ſunt, moueri de ſuo gradu nec poſſunt, nec decet:Itaq;, ſi alio tẽpore, quàm quo fixa fuerunt à principio,colãtur,detrimenti plurimũ nobis non afferre non poſſunt. 6.

Altera ratio eſt, quòd feſtorum mobilium certa obſeruatio nobis pręcepto Dei temporali fuit iniuncta, non autem æterno, neque enim perpetuò eadem ratione in Eccleſia ſancta poſt Chriſti filij ſui paſſionem, & reſurrectionem voluit Deus ea 7.

coli, & ſeruari, ſicut olim patribus veteris
Exod.12, Leu.23. Num. 28. Deut.16. teſtamenti præſcripta fuerunt: Nam, ſi
æterno Dei Omnipotētis præcepto ipſum
paſcha, & paſchalia feſta ad certum tempus
iniuncta nobis fuiſſent, quomodo
poſt obſeruatum æquinoctium, & Lunam
decimam quartam non continuò cum Iudæis
ſanctū phaſe celebraremus? Et quamobrem,
ne cum verbis iudaizare videremur,
diem dominicum præterea expectaremus?
Et vero, iam ſplendidiſſimi ſolis
exorto iubare, vmbras ſequi, & in illis adhuc
cæcutire piaculum foret.

8. Tertia iam ratio eſt, quòd labi, errare,
decipi in ſacris feſtis mobilibus ad diem
celebrandis, non modo magnum malum
non eſt, vt penè de induſtria, nec ſine aliquo
ſacramento factum à Deo videri poſſit,
vt in eorum tempore obſeruando cæ-
Pſal. 117. ſpitemus. Nam, cùm omnia feſta mobilia
pendeant à die ſancto paſchatis, nobis autem
ſanctū paſcha ſit illa dies, quam verè
fecit dominus, in qua merito exultemus,
& lætemur, quòd in ea redemptor noſter
Ieſus Chriſtus, cum vere nudius-tertius
mortuus eſſet, deuicta morte, nec amplius
moriturus vere rediuiuus apparuit, quotuſquiſque
eſt, qui certò affirmare poſſit,
noſſe

noſſe ſe vel paſſionis, vel reſurrectionis eius certam diem? cur natiuitatis, cur incarnationis domini certas voluit eſſe nobis dies Omnipotens Deus, atque ita certas, vt nec in cœlo, nec in terra certiora poſſint eſſe momenta vlla, paſſionis autem, & reſurrectionis eiuſdem domini, ac ſaluatoris noſtri certum tempus noluit quemquam mortalium pro certo ſcire? myſterio carere aliquo, id nefariũ eſſet putare, ſed quale hoc myſteriũ ſit, paulo poſt aptior erit explicandi locus. Nunc ſtatuere tantum volumus, incertam nobis adhuc exquiſitam eſſe diem, in qua Dominus in cruce peccata noſtra morte ſua expiauit: certas illas, in quibus vel humanam carnem aſſumpſit diuinum verbum, vel caro factus Deus in hanc lucem venit de virgine filius hominis: Nam quis (niſi ſtultus vel impius) dubitare de eo poſſit, quod Eccleſia ſemper in confeſſo habuit? At Eccleſia ſemper credidit nobíſque per manus tradidit, Chriſtũ incarnatum fuiſſe ad 8. Kal. April. natum ad 8. Kal. Decem. contra verò de certo paſſionis dominicæ die certatur adhuc & poſt tot ſæcula, poſt tot ſanctiſſimorum & doctiſſimorum hominum diuerſas ſententias tanta de re, ni-

hil nos explorati habere argumento eſſe poteſt, Deum ſua diuina, & imperſcrutabili ſapiētia noluiſſe hactenus à nobis hoc ſciri: &, ſi ſciri noluit, neque in eius ignoratione, & aberratione multum à nobis peccari putandum eſt. Hinc eſſe conſequens videtur, quod modo vrgemus, multo grauius aberrari in celebratione feſtorum immobilium, quàm mobilium.

9. Quarta ratio eſt, quòd feſta mobilia ſi pendent omnia de ſancto paſcha, paſcha autem noſtrum Phaſe antiquum eſt, hoc eſt tranſitus, vel, vt Hebræam vocem פֶּסַח aptius exprimamus, ſubſultus quidā, quid mali eſſe poteſt ſubſultando tranſilire nutantes gradus, cum & patres noſtri tranſilierint antiquos præfixos terminos? Et nominis myſterium alioqui nos, certum in eo pedem figere non poſſe, commonefacit.

10. Quinta, & omnium efficaciſſima ratio eſt, quòd feſta mobilia, inſtituto hominum hoc potius die, quàm illo celebrantur, at feſta immobilia ſuapte natura hoc die celebranda ſunt, & non alio. Propterea nanque immobilia dicuntur, quoniam ſtato, & præfixo die celebranda eſt memoria ſacri illius vel myſterij, vel euentus, qui

retro-

retroactis annis accidit:Natiuitatẽ (puta) domini; Circumciſionem, Transfigurationem, Natalitia Martyrum, vel Confeſſorum diebus eiſdem (aliis & aliis voluentibus annis) ſemper celebrari cupimus, & credimus: Nam dominum noſtrum Dei filium, & Deo conſubſtantialem de virginali vtero ac ipſa die nobis natum, nobis datum eſſe ſcimus eundem Octauo poſt die (quippe qui non ad ſoluendam, ſed ad implendam legem venerat) præputium abieciſſe didicimus, eundem in monte certo quodam die tribus diſcipulis, adſtantibus ibidem Moyſe, & Helia, noſtræ perfectæ beatitudinis, & corporum noſtrorum glorificationis arrhabonem dediſſe pro comperto habemus: Sanctos hoc extremo mortalis vitæ die vel ſanguine propter Chriſti nomen vitæ immortalis teſtimonium, vel ſpiritu æternæ remunerationis cõfeſſionem nobis reliquiſſe non dubitamus. Natus eſt Chriſtus (vt interim alia mittamus exempla) 25. Decembris, quæ octaua erat ante Kal. Ianuar. prout indubitanter Eccleſiaſtica traditione tenemus, ponamus hanc ipſam diem nunc (annis mille quingentis ſupra duos de octuaginta iam labentibus) incidere in

eadem huiuſce diei nomenclatura, Num poſſet Eccleſia diem hunc in alium mutare? de ritu, atque vſu celebrationis feſti non dubito (poſſet enim proculdubio) vt poſſe videmus, quando commodum eſt,& vſus poſtulat,feſta transferre, An recte id fieret, non diſputo, neque ad rem quicquam facit, tantum contendo, diem ipſum, quo natus eſt Chriſtus, non poſſe quouis hominum inſtituto mutari: &, ſi celebranda memoria natiuitatis domini eo ipſo die eſt,quo natus olim mundo apparuit, 25. illa ipſiſſima luce, & non alia, quæ tali nuncupetur nomine ac numero celebranda eſt. Itaque feſta immobilia (vt ipſa docemur voce) immò, vt ipſamet rerum natura nos cogit, mouēda,vel mutanda non ſunt:Naturæ enim leges (quippe quæ à Deo ſancitæ ſunt) per hominum leges abrogari non licet:contra verò feſta mobilia,mutari ab Eccleſia (ſicut mutata olim aliquando fuerunt) poſſe, ac licere non ambigimus. Ergo minus errabitur in lapſu mutati feſti, quod mutari poterat, quàm feſti, quod vlla ratione propterea quòd naturam immutabilem ſequitur, mutari non poteſt.

12 Hactenus errorem in feſtis immobili-

bus negligendum non eſſe expoſuimus (ſiquidem in illis erretur à nobis.) Errari autem à nobis perinde atque errorem in mobilibus fatentur omnes: oſtendamus nunc doceamúſque, diem exempli gratia ad 8. Kal. Ianuar. anni in quo natus eſt Ieſus ſaluator noſter, non incidere in diem iſtum, qui modo à nobis huiuſmodi nomenclatura cenſetur, quod autem de dominicæ natiuitatis dicimus die, idem de reliquis feſtis dictum eſſe putandum eſt: Ne longius abeamus, Tempore quo verbum Dei genitum ab æterno, carnem fieri temporarie, & naſci voluit, nónne 8. ante Kal. Ianuar. beata illa in meditullio noctis lux brumalis diei, omnium in anno breuiſſimi, fuit? Quis hoc in dubium reuocare poſſit, qui Eccleſiam audiat, & Romanos faſtos non ignoret? dies brumæ nónne certiſſima eſt, & notiſſima? quippe quæ Iolis in cœlo conuerſionem ad nos euidenter oſtendat, & noctis in terris moleſtias nobis cunctanter extendat? Iam in Eccleſia primitiua quem diem Sanctos patres Natiuitati domini celebrandæ dicatum habuiſſe credamus? nónne ipſammet brumam, quæ tunc incidebat (vti dicebamus) ad 8. Kal. Ian.? noſtra ætate nos

quem diem ſacrum habemus in recolendo natali dominico? eundem ipſum(dicet aliquis)nimirum, qui itidem eſt ad 8. Kal. Ian. Vide quid agas: meta nobis præfixa fuit apertiſſima, patentiſſima: ab illa ne minimo quidem vngue recedere potis eſt, quin error continuo percipiatur: Solſtitium hyemale plus oppido fixum, atque indubitatum ſignum eſt, quàm aberrare illinc impune nobis liceat: Videamus modo noſtræ octauæ ante Kal. Ian. quantum diſtent ab ipſa bruma: papè quis tantum credat? præuerterunt enim & quaſi prælapſi ſunt cardines cœli (noſtro tamen non cœleſtiũ orbium errore)&ad dies treſdecim cum dimidio, vel etiã quatuordecim præcurrerunt: Regreſſum enim ſolis ad nos in cõuerſione Capricorni, qui erat Auguſti Cęſaris tempore ad 8.Kal.Ianuar. noſtra tempeſtate circa Idus Decemb. incidere conſpicimus:Hinc perſpicuum fit, neque dies feſtos à nobis ſuis diebus celebrari, &, quod immobile ſua natura erat, noſtra culpa ſubmoueri in dies, multóq; tardius,& ſegnius,quàm par ſit,ſanctorum feſta à nobis concelebrari. Et (vt ab vno diſcamus omnia) quo die iucundiſſimam dominicæ natiuitatis feſtiuitatem celebrare

brare deberemus, in ea martyrium S. Luciæ Syracuſanæ virginis, & in virginitate diuino miraculo perſiſtentis recolimus. Nam quod 20. Kal. Ian. eueniſſe, lectionibus Canonicis edocemur, id ad Idus Decembr. factum fuiſſe intelligimus: Et, quo die S. Luciæ conſtantiam, firmitatem, gutturis transfixionem, mortem denique, quę vitæ principium illi ſine fine fuit, recolere debuiſſemus, in eo fortaſſe S. Bibianæ Virginalem palmam martyrij corona decoratam, & conduplicatam memoramus: ſi ergo natalitia non quidem mortalis, ſed cœleſtis vitæ Sancti alicuius recte celebrare cordi ſit, haud equidem nomenclaturam dierum noſtro æuo congruentem, & antiquis ſæculis, ſed rem ipſam, veritatémque illorum ſequi neceſſe eſt, quibus & dies diei, & nox nocti, immò & horæ propemodum, ac momenta horis, & momentis ad amuſſim reſpondeant. Quis neget, nomen rei, quod ratione rei deſtituatur, ad rem nihil pertinere? & quis ſit tam delirus, vt fictitias voces potius, quàm naturam ipſam veraciſſimam rerum amplectatur? Nomen diei, qui ſit ad 8. Idus Ianuar. quid ſibi velit intelligo, huius nominationis die celebramus, & ſemper celebrauimus

mus Epiphaniã domini, Baptiſmum eius in Iordane, Nuptias inſigni miraculo hydriarum in Chana Galileæ conſecretas, & re vera tria hæc veneranda myſteria eademmet die (diuerſis tamen reuolutis annis) facta eſſe non dubitamus.

8. Nunquid hanc ipſam diem, quæ ſexta nobis Ianuarij nuncupatur, illam ipſam veram, germanam, naturalem putemus, in qua re vera olim & Magi ab Oriente ſtella duce Dominum in præſepio adorauerunt, & aquæ data facultas eſt ex contractu Chriſti (accedente verbo ad elementum) animas noſtras abluendi à ſordibus peccatorum noſtrorum, & præſentia Virginis Ieſu, cum matre Virgine coniugum in vnam carnem conſenſus ſanctificatus? Equidem eandem eſſe diem, qua nunc apparitionem, & manifeſtationem Chriſti celebramus cum illa, qua olim beatis regibus primitiis gentium, ſtella duce, Dei filius reuelatus eſt, perſuadere mihi nulla ratione poſſum: Nec putet quiſquam, me (quod ſanè nimis leue eſſet) eaſdem numero eſſe has dies pernegare: nullus id non inſanus opinaretur, Et quomodo id, quod multis annorum centuriis præteritis iam eſſe deſiit (natura ita ferente) quot-

an

annis idem numero redire queat? Sed neque eaſdem quoque illas ſpecie, vel ſimilitudine eſſe, id verò pernego: fiet autem, quod dico, manifeſtum hoc modo.. Species, vel ſimilitudo naturalis dierum inter ſe petenda videtur ex illa ratione, qua dies cum aliis diebus conuenit, & ab aliis diebus diſcrepat, ergo ex genere, & differentia elicietur, quis dubitet? Genus dierum quodnam eſt? circumuolutio Solis ex raptu primi mobilis circa terram ſemel, differentiam dierum quam eſſe dicemus? Solem certam zodiaci partem percurrere motu proprio contra firmamentum; Ergo ſol quatenus rapitur, dies efficit in genere, quatenus graditur, dies conficit in ſpecie: quòd in genere iidem ſint illi dies, quos attigeramus, nec dubium eſt, nec propoſitum: quòd iidem in ſpecie quoque ſint, ſi probare vellemus, probandum eſſet prius ſolem eademmet via ingredi nunc, qua olim gradiebatur in eadem nuncupata die: verumtamen probare hoc nullus vnquam poterit, immò contra nos adſtruere oppoſitum facillime poſſumus: quo autem res planior fiat, ad Annunciationis B. Mariæ, vel ad natiuitatis Ieſu Chriſti

ſacros

ſacros dies reuertamur:hanc enim 25. Decemb. illam autem 25. Martij (vt loquimur) quam etiam multi putant Dominicæ paſſionis diem fuiſſe, accidiſſe credimus, vtroſque, quoniam in illuſtribus, certiſſimiſque cœli cardinibus gradiente ſole fœliciſſimi nobis illuxerunt, notiſſimos dies eſſe conſtat: ille enim in æquinoctio verno ſole Arietem primi mobilis ingrediente, hic in ſolſtitio hyemali, Sole Capricornum intrante, percelebres de ſe notas, & clariſſima indicia reliquerunt (neque enim modo de exquiſita ratione inueniendi æquinoctij diſputamus) Committamus nunc antiqua tempora modernis temporibus: Natus eſt Ieſus in ipſa brumæ die, celebramus nos hodie Natiuitatem eius 25. Decembr. En quantum diſtat dies à die? quomodo eadem eſſe dies poſſit, quæ 10. Decem. eſt, cùm remeare Sol ad nos incipit in cœlis, cùm 25. eiuſdem Menſis, in qua verum Solem ſua præſentia tenebras diſcuſſiſſe memoramus in terris? Enimuero, ſi lapſus temporum, qui à primis Eccleſiæ iactis fundamentis quaſi ſubſiliendo præcurrit, ita perdurare vſque pergat, neceſſario fiet, vt natalis domini, qui ſumma bruma ſummo Dei conſilio

fuit,

fuit,in æſtiuo ſolſtitio celebretur, & Nata-
lis Ioan.Bapt.præcurſoris Domini,qui cir-
ca ſolſtitium fuit,in ipſa bruma ſanctifice-
tur: éſtne hoc ſanctorum feſta colere op-
portune, an importune? rite, an ſecus? Si
omnia (quantum fieri poteſt) præſertim
ad religionem ſpectantia tempeſtiue fa-
cienda ſunt, Cur præſcriptos ſacri tempo-
rís limites adeo importune perrumpimus?
Cur non potius ſanctos dies ad ſuam inte-
gritatem, & ſanitatem reuocamus? cur in
ſuos proprios, & legitimos gradus ſancto-
rum feſtiuitates,quaſi poſtliminio, non re-
ducimus?

Dicet aliquis, Ecquid aliud ſummus 14.
Pontifex meditatur? quorſum aliorſum ſi-
gnificari Principibus Chriſtianis ſuũ ſtu-
dium,optimámque voluntatem corrigen-
di Kalendarij pientiſſimus, & Vigilantiſſi-
mus paſtor curauit? nónne tendunt illò
omnia,vt dies feſti in ſuos veros dies repo-
nantur? Bene habet, & eſt ſanè,quòd gra-
tias agamus Deo, diuinámque bonitatem
ſupplices precemur pro incolumitate tam
ſoliciti de grege ſuo, tamq; gnaui paſtoris
noſtri: Attamen, ſi dies decem tantum de
anno,vel,vt verius loquamur, de anni cal-
culo,demamus,non autem treſdecim, vel
quatu

quatuordecim (qua de re ſibi adhuc non liquere ſummus Pontifex præ ſe fert) quomodo dies in ſuas antiquas, & detritas orbitas reuertantur, non video: Et,quamuis ſanctum paſcha feſtáque alia mobilia,quę à paſchate dependēt, legitime ſic celebrari poſſe non dubitem, feſta tamen immóbilia (in quibus peccatur à nobis paulo damnoſius) vti ſupra probatum fuit, qua ratione rite, & legitime celebrentur, deſpicere non poſſum.Contra verò ſi tresdecim ipſos dies, vel quatuordecim, qui furtim irrepſerũt,audacter abegerimus,Cum dies noſtri ſoles ſuos, ſuáſque proprias luces recuperabunt, atque iidem vere redibunt, atque olim fuerunt, Tum vnà cum recta, ac germana feſtorum immobilium celebratione, feſta quoque mobilia recte, ac germane celebrabuntur.

15. Hinc quot quantáque commoda reipublicæ Chriſtianæ ſint acceſſura, explicare verbis quis poſſit?Principio pietas ipſa, atque in Deum verum ſancta, ac vera religio, qua ſola genus hominum regitur, ac ſuſtentatur, quæque noſtro infœlici ſæculo(proh-dolor)propè elanguit, ſuum priſtinum vigorem, ſuum robur, ſuámque integram, & inculpatam ſanitatem

tem recuperabit. Deinde Caritas noſtra in Deum, quæ animæ noſtræ vera vita eſt, vt anima ipſa vita eſt corporis, quæque noſtro æuo ita refrixit, vt extincta in animis hominum videatur, fomite recollecto, & flamma correpta ardebit, atque ita ardebit (ſpero) in terris, vt cœli quoque cardines conflagraturi ſint, Tum Eccleſia vniuerſa Chriſti, quæ acerrimis cum hoſtibus bellum aſſiduè gerit, & nimis diu iam hæreticorum fluctibus agitata, & conflictata fatiſcit, aquilonaribus procellis depulſis (ſecundiſſimo Fauonio aſpirante) curſum in tranquillo ſuum tenebit. Demum beatiſſimus ille cœtus tam Angelorũ, qui ſemper victores, quàm animarum ſanctarum, quæ modo victæ, modo victrices in hac terreſtri pugna, nũc tandem triumphant in cœlis, lætitia, & gaudio permaximo perfundetur, & dicet, exultemus nunc, & lætemur, iubilationis, & gaudij magna nobis datur occaſio, gloria ſit Deo patri, laus ſit Dei filio vnigenito, honor ſit Spiritui ſancto ab vtroq; procedenti: benedictio ſit, & claritas Sanctiſſimæ, atque indiuiduæ Trinitati: terreſtris Ciuitas Dei nunc vere cum cœleſti noſtra hierarchia conſentit, nunc tandem cultus Apoc. 7.

hominum cum veritate Cœlitum conſonat, Ciues, qui & modo in terris ſunt, & & erunt poſthac, noſtram in ciuitatem cœleſtem aſciſcendos fore confidimus. Et ipſi quidem, qui ſupra tempus in æternitate degimus, temporum interualla nihili pendimus, ſed Ciuium, qui temporarij adhuc ſunt, ignorationes, & neglectiones temporum ferre æquo animo nequimus.

16. Præclara (inquiet aliquis) & magnifica ſunt hæc, quæ dicis, ſi vera ſunt: ſed quî probare illa potes? Ne vno hoc certiſſimo, & ſolidiſſimo (ni fallor) fundamento, à quo exorſi etiam ſumus: hoc autem erat, locorum, & temporum in religione permaxima momenta eſſe. Hinc & templorum, & feſtorum (in quibus vniuerſa ferè pietas verſatur) omnis pendet ratio. Cur ad ſacras ædes conuenimus? cur ibi acceptiores Deo noſtras putemus preces, quàm ſub diuo? Cur in hoc ſacello potius, quàm in illo, petitiones noſtras exaudiri credimus? Cur huc potius, quàm illuc religionis ergo peregrinamur? Cur, ſi locorum obſeruatio ad culturam Dei nihil facit, votiua noſtra donaria illic potius, quàm
Pſal.115. ibi ſuſpendimus? Cur dilecta tabernacula domini virtutum, deſiderat, & cur concupiſcit,

cupiſcit, & in concupiſcendo deficit ani-
ma ſanctorum, atria domini? Eadem ra- Pſal.83.
tione ſi temporum obſeruatio ad religio- Pſal.118.
nem ne quicquam prodeſt, cur faſtos ha- Pſal.68.
bemus alios dies, alios profaſtos, alios fe- 2.Cor.6. Eſa.49.
riatos? vel (vt noſtris propius accedamus)
cur dupliciũ, ſemidupliciũ, ſimplicium fe-
ſtorũ rationẽ habemus? Cur tẽpus facien-
di, & tẽpus beneplaciti laudãt Prophetæ?
Cur in tẽpore accepto exaudire nos Deus
teſtantur Sancti? Hæreticorum, immò ve-
ro impiorum hominum religionem om-
nem religionis prætextu amoliri molien-
tium, vox illa eſt, vbique locorum Deus
eſt, & vbique perinde colendus eſt.

Semper Deus eſt, ſempérque fuit, atque 17.
erit, & omni tempore ſine diſcretione
glorificandus eſt. Belle ſanè: ſed in aurata
pyxide toxicum latet, piè quoq; dicerem,
niſi cultus vbique & quandocunque pro-
pterea laudaretur, vt à locis, & temporibus
propriis exterminaretur.

Sed quid refert (quærat aliquis) hoc vel 18.
illo loco, iſto, vel illo tempore Deum co-
lamus? permaximi nimirum, permaximi:
Nam ſapientiſſimus, & moderatiſſimus
mundi opifex Deus opt. max. qui omnia
librauit in numero, pondere, & menſura,

omnia, quæ ſub cœlo ſunt voluit habere
Sap.11. ſua loca,ſuáque tempora locíſque,& temporibus ad res, quæ locis, & temporibus includuntur, alendas,fouendas,& conſeruandas mirificam indidit virtutem. Apertiora hęc ſunt,quàm exemplis illuſtrare ſit opus:malleolus ſi depangatur in terra non ſua neq; ſuo tempore,quis palmites ex eo, & ex palmitibus lætos racemos prodire ocyus ſperet? Si naturæ pater,ac dominus naturam eſſe confotam voluit locorum, tēporúmq; virtutibus,quaſi lacte,& mammis,cur idem animæ noſtræ(quæ ſupra naturam eſt)plaſtes & creator Deus animam ſuis locorum, temporúmque fomentis, dum in natura, hoc eſt in organo corporeo peregrinatur, deſtituet? Dum in corpore degit anima, corporeis adminiculis ſuſtentatur, his imaginem ſuam, quo fructus opimos proferre, & beata tandem effici poſſit, orbatam eſſe non patitur Deus: Animæ fructus, Caritatis opera ſunt: his incrementa gratiæ, his perſeuerantiam in ſanctis functionibus promereri poſſumus: Admiranda ſunt illa ſolatia,& incitamenta, quæ filiis ſuis præparauit benignus, & miſericors pater, vt gratiam gratuito nobis elargitam conſeruaremus,& augeremus;

mus:inter hæc ſolidiſſima, & efficaciſſima ſunt (non dubito) quæ de ſacris locis, & ſacris temporibus nobis ſuppeditantur: Habent ſegetes ſua tempora germinationis,ſpicationis,maturitatis, non habebunt animi ſuos locos, ſuáſque tempeſtates, quibus pullulent in Deum, & quaſi Deo grauidi,Deum ipſum ſibi fructum ferant? Quid ſibi volunt antiquæ illæ ſanctiſſimæ & religioſiſſimæ apud aliquem ſanctorum ſtationes, Vigiliæ, quarum magno noſtro dedecore,ac damno vix retinemus adhuc nomina? Sacellum aptius nimirum hoc, hora commodior videlicet hæc eſt,in quibus meditando, ac memorando ſacra myſteria filij Dei, hominis pro nobis facti, mentem in Deum eleuemus, intẽdamúſque: Neque id ſua ratione caret, Cum in hoc ſacello, & in hac hora potius,quàm in illo,illáve vel Chriſti hominis,vel eius matris Deiparæ Virginis,vel alicuius ſanctorum, ſanctarúmve pro loco, & tempore patrocinia nobis præſentiora ſentiamus. Ex noſtro ſenſu poſſumus & de aliis coniecturam facere. Sunt, qui religione ducti in Palæſtinam, & Iudæam proficiſcantur: Si de ſumma Dei in nos miſericordia,cum verbum æternum, increata ſapientia pa-

 tris

tris, filius Deo conſubſtantialis carnem ſuſcipere pro noſtra ſalute dignatus eſt meditemur, quantũ ex Terrę-Sanctæ aſpectu, & quaſi halitu, ſanctitatis, & deuotionis in eius animo excitari, & inflammari credamus? Pergat vir pius, & floridam Galilææ ciuitatem inuiſat Nazareth, in quam miſſus fuit Angelus Gabriel à Deo, qui nunciaret Mariæ, Virginem concepturam de Spirituſancto Virginémque parituram Ieſum filium Dei, ſaluatorem mundi, quas amoris, atque ardoris flammas in Deum, tanti beneficij, tantæq́; miſerationis memor non concipiet, & non emittet? progrediatur altius: adeat domunculam, atque adeo cubiculum (ſi fieri poſſit) Virginis ingrediatur: ſecum etiam reputet, inibi fuiſſe præclara illa verba pronunciata, & verborum vim eximiam expendat. Ecce ancilla domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum: quæ Chriſtiani hominis mens non tota flagret, non quaſi holocauſtum tota in Dei caritate ardeat, & concremetur? Nimirum, Natura ipſa loci ad cogitationem mentis addita noſtros animos afficit mirandum in modum: quis addubitet? Adde modo (ſi placet) & ad vires occultas loci, temporis quoque diuinam virtutem

Luc. 1.

virtutem adiunge, in eodem illo ſacro virginis cubiculo ſimus eo ipſo ſacerrimo die, quem ad 8. Kal. April. fœliciſſimum nobis illuxiſſe ſanctorum patrum perpetua traditione credimus, verſetur in animis noſtris ea ſancta, & pia cogitatio, Hodie miſericordia, & veritas obuiam factæ ſunt ſibi, hodie victrix clementia cum Iuſtitia conſociauit, hodie natura humana extorris, & inimica Deo conſors Dei fit, & amica, hodie verbum caro factum eſt, vt caro noſtra ſpiritus, & vita fiat, hodie virtus altiſſimi obumbrauit Mariam, vt nos perpetuæ lucis perfectè claritate fulgeremus. Ecquis non extra ſe raptus tanti ſacramenti adoratione, & religione obſtupeſcat, & obmuteſcat? ecquis in ſe reuerſus non in laudes, non in gratiarum actiones totus erumpat? Cuius cor, cuius lingua non confiteatur, & dicat: Benedic anima mea domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius: Quis non laudet & non exclamet: Miſit verbũ ſuum, & ſanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorũ? Quod pectus, quæ vox nõ proferat, & apponat, Generatio & generatio laudabunt opera tua, & potentiã tuã pronunciabunt? Ridebunt hæc (ſcio) noſtri tẽporis

Pſal. 84. Ioan. 1. Luc. 1. Pſal. 102. Pſal. 106. Pſal. 144.

hæretici, ſed quid mihi cum his, qui foris
ſunt? Rideant quantumlibet, ſuo enim id
Pſal.1. iure facient; בְּמוֹשַׁב לֵצִים יָשָׁבוּ Rideāt,
Tert. & ſannis, cachinníſque rumpantur etiam,
Re. 8. 2. Par.6. ſi velint: Hoc certe irridere non poſſunt.
Exod 33. Deum inuiſibilem, & incircumſcriptum, olim aſpectabili in templo deſignato in tempore voluiſſe adorari, ibíque, túncque petitiones hominum procliuius exauditurum ſe fore promiſiſſe. Cur modo propter noſtram ſalutem, ampliorémque noſtram eruditionem viſibilis factus, vel certe viſibili corpore per diuinitatem aſſumpto, adorationes corporeas locis, ac temporibus definitas detrectet? Non videbat
Ioan.6. olim quiſquām Deum, & viuebat, conuerſa nunc ratio eſt, mutatæ ſunt ſortes, non viuet quiſpiam, qui Deum non videat, immò Deo ipſo Carne iam facto, atque adeo carne ipſa Dei mirabili ſacramento ex pane tranſubſtantiata non ſaginetur. Satis probéne vobis os impegi canes improbiſſimi, & impudentiſſimi, ne rictu fœtido poſthac obganniatis? Reſpice de cœlis domine, Hi ſunt, qui incenderunt igni ſanctuarium tuum in terra, qui polluerunt tabernaculum nominis tui; hi ſunt qui
Pſal.73. ἐβεβήλωσαν τὸ σκήνωμα τοῦ ὀνόματός σου Hi dixerunt

in cor-

in corde ſuo, quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei à terra: Sed progrediamur. Septenas horas Canonicas ſingulis diebus decantamus, nam ſepties in die laudem dixi tibi, & ſingulis horis ſingularia paſſionis Christi myſteria recolimus: vbi Pſal. 118. ad horæ Nonæ preces deuentum eſt, quoniam conſummata ſunt illa hora redemptionis noſtræ tremenda, & deploranda ſacramenta, ad ſummum venerunt Chriſti Io. 19. pro nobis patientis in puriſſimo corpore, Luc. 18. & beatiſſima anima ſummi dolores, & langores: peccata, quæ non fecit, exoluit Agnus innocentiſſimus: expirauit deniq; hac ipſa hora vita noſtra, Redemptio noſtra pro peccatis noſtris: Quis non Dei filij tantis cruciatibus, tantíſque tormentis tãta clementia, & patientia victus nõ crucietur, & viſceribus commotis non ipſe quoque miſerè torqueatur? At, ſi cogitatio ſuſcipiatur huiuſmodi, die ipſa Veneris (nam ſexta feria crucifixum fuiſſe Dominum eccleſia nobis per manus tradidit) quanta, Bone Deus, in cordis intimo dolorum, & commiſerationum acceſsio fiet? Incidat præterea ſexta feria hæc in menſe Martio (nam intra huius menſis limites myſterium redemptionis noſtræ in cruce

Domini factum eſſe credimus) Heu quã-
ta fibrarum interiorum commotio, quot
ſuſpiria, quos gemitus, quantum lachry-
marum effundet pius animus, ſuorum ad-
miſſorum conſcius; & diuinæ miſerationis
non ingratus? Quid ſi ad hæc accedat lo-
cus-met Caluariæ, in quo ſublatus à terra
Dominus cœli ac terræ, neque in terra
Ioan. 12. erat, neque in cœlo, ſed omnia quæ in cœ-
lo ſunt, & quæ in terra, affixus clauis traxit
ad ſemetipſum? Quis animi dolorem tan-
tum ferre poſſit? ferreus ille ſit, duróq; fer-
ro præcordia conſtricta gerat, qui terrã ſan
guine Chriſti pro ſalute noſtra reſperſam
aſpiciẽs, recordationibus etiã temporum
quaſi iaculis transfixus, nõ animi deliquio
correptus concidat, nõ examinatus rigeat:
quòd ſi ad hæc influxus ille diuinitus inſpi
ratus pietatis, & religionis ex ipſo die acce
deret, quo filius Dei obediẽtiſſimus victi-
mam ſe Deo patri obtulit pro peccatis to-
tius mundi, qui quidẽ influxus in omnes
Chriſtianos ſuo peculiari tẽpore diffundi-
tur, vt hunc Dei filiũ ſaluatorẽ noſtrum in
cruce pendentẽ adoremus, eiq; de tanta,
qua dilexit nos caritate Deus, gratias
agamus, deq; illius morte aſperrima, miſer
rima, turpiſſima condoleamus, nullus eſt
(credo)

(credo) qui tantam dolorum molem ſuſtinere valeat, & ruina quadam miſerationum oppreſſus non protinus extinguatur.

Atque hanc (ni ſecus prudentiores iudicent) cauſam eſſe reor (quod ſuperius propoſitum in hunc vſque locum diſtulimus) cur paſſionis dominicæ diem exquiſitè nouiſſe nos, prudentiſſimus, vitæque noſtræ, quam dedit, amantiſſimus conſeruator Deus noluerit: Nam, ſi ad animi noſtri mœrorem ex recordatione conceptũ delictorum noſtrorum, quæ Dei filium ad mortem crucis compulerunt, ſi ad commiſerationem ex cruciatibus ſæuiſſimis, & crudeliſſimis in noſtris ſenſibus excitatam, quos cruciatus patientiſſimè pro noſtra ſalute pertulit innocentiſſimus Ieſus, accedat præterea virtus, quæ à ſanctitate loci proculdubio manat: Hic, hic de latere Domini dormientis in cruce ſanguis, & aqua defluxit. Hæccine humus ipſa eſt, quæ ſacratiſſimis maduit cruoribus, & ad hanc virtutem loci, vires quoque veriſſimi temporis diuinitus immiſſæ ſuperadiungerentur, piæ mentes paſſim exanimarentur profectò (ſicut ex ſolo ſepulchri Chriſti amplexu exanimatos aliquos extemplo fuiſſe nouimus) & vlteriorem 19.

beati-

beatitudinis gradum in cœlis demerendi pro longiori in terris vita,facultate priuarentur. Miſertus hac etiam in parte filiorum ſuorum eſt clementiſſimus pater, &, ne dolorum,& lachrymarum cumulatiore mole obrueremur, prouidit. Aliorum vnigeniti filij ſui myſteriorum recolendorum, quia læta ſunt, & cum lætitia pietatem, & venerationem noſtram adaugent, occultanda tempora non erant, immò, quò fuiſſent compertiora, eo maiores, & viuidiores amoris diuini faces in animis noſtris (vitalibus quoque ſpiritibus vegetatis)accenderentur.Nam,etſi iuuet credere,quod vulgò autumant, Chriſtũ mortuum eſſe pro nobis 25. menſis Martij die, quæ tunc in 15.luna primi menſis Hebræorum accidit, tamen id omnino haud conſtat: tótque ſunt, tantúmque inter ſe diuerſæ de vero die paſſionis Domini ſententiæ doctiſſimorum hominum, vt non ſine diuino conſilio tam alti,& imperſcrutabilis myſterij dies in obſcuro eſſe omnino videatur. Quis non miretur,incarnationis Dei diem, vni virgini matri Mariæ cognitum, Natiuitatis noctem, pauciſſimis detectam, in comperto ſemper vniuerſæ Eccleſiæ fuiſſe,paſſionis diem in am-

plisſima

pliſſima,& nobiliſſima vrbe peractæ,principibus totius ciuitatis viris id procurantibus,& per calumniam plebis ſeditionem, & prouinciæ rebellionem cauſantibus, præſide Romano ius pro tribunali dicente, cuncto populo acclamante, & inſpectante, ſignis etiam datis & in cœlo, & in terra,& in abditiſsimis terræ penetralibus admirabilibus, & per omnẽ terrarum orbem vſquequaque memorandis, in ambiguo adhuc eſſe? Sunt enim,qui verum paſſionis dominicæ diem (vt refert D. Auguſtinus) Nonis Martij fuiſſe dicerent. Epiphanius doctiſsimus, & diligentiſsimus ſcriptor 14. Kalend. April. mortuum eſſe Dominũ affirmauit, venerabilis Beda ad 10. Kalend. April. crucifixum Chriſtum probare nititur: Tertullianus, necnon Lactantius,quos ſequuntur D. Hieronymus, & D. Auguſtinus,8. Kalend. April. id accidiſſe teſtantur, ſed quoniam in anno manifeſtè lapſus eſt Tertullianus, teſtimonium illius de die,aliquanto minus auctoritatis habet: Paulus epiſcopus Foreſempronienſis, vir in hac diſputatione de Eccleſia Dei optimè meritus,diem paſſionis Domini videtur extendere ad pridianam diem Kal. April. Alij audaciores fuerunt

noſtra

noſtra ætate, qui 4. Non. April. neruis omnibus contendant Chriſtum Dominum in cruce ſublatum. Nec deſunt omnium nouiſſimi docti homines, qui plus etiam quàm alij, ſibi vidiſſe videantur, ac proinde omnes alios errare aſſeuerēt, quàm qui Chriſtum pro nobis paſſum 3. Non. April. aſſerant. In tanta opinionum diuerſitate, & de re tanta, quanta nulla vnquam fuit, erítne poſthac, qui dicat comperti quicquam haberi poſſe? immò quis non dicat, & credat, aliquo diuinitatis arcano, mortis filij Dei certam diem occultatam no-
20. bis fuiſſe? Si itaque, vnde paululum aberrauit, eò redeat oratio noſtra, dies decem tantùm eximendo, mobilia quidem feſta ritè celebrabuntur, ſed immobilia nihilominus in errore perdurabunt: Contra verò, ſi 13. dies, vel 14. de Calendario demendo, facillimè vtrumque præſtare à nobis poterit (Nam & ſanctum Paſcha cum ſuis feſtis mobilibus, & ſtati dies myſteriorum Chriſti, reliquorúmque ſanctorum, ac ſanctarum feſtiuitates ritè, ac decenter ſuis propriis, & legitimis diebus deinceps ſanctificabuntur) quid cauſæ eſt, cur trepidemus? cur in ambiguo ſimus? Error inerrantium ſyderum nihilo leuior cenſendus

eſt

eſt,quàm planetarum, vbi opera vnica binas mercedes lucrari datur, cur ſimplici contenti ſimus?Cur, tanquam aliptæ, colorum tantum, & externarum virium, & non potius, vt periti medici, ſanitatis, & viſcerum temperaturæ rationem habeamus? Iniquum certe ſit eodem medicamento poſſe vulnus exterius exſiccare, & internam febrim refrigerare, illud quidem probè curare, hanc autem nihili facere.

REDEANT feſtiuitates Domini Ieſu, Incarnatio,Natiuitas, Circunciſio, Apparitio,Transfiguratio, & huiuſmodi aliæ in ſuos dies,quibus verè mundo illuxerunt, & Chriſti dilecta ſponſa ſanctiſſima & puriſſima ſuam integram ſanitatem, vegetam,& ſolidam, quæ in Chriſtiana caritate conſiſtit,quaſi in ſuo ſanguine, recuperabit. Sic namque fiet,vt,quam dilectus ſponſus, tanquam caput in ſua membra, virtutem illis ipſis diebus inſtillat, negligentia noſtra diffluere non ſinamus: ſed totam ſimul confertam, & coagmentatam, peculiaribus temporibus peculiaria myſteria recolentes,& venerantes, attentiſſimè, & copioſiſſimè colligamus. Redeant Beatiſſimæ virginis Deiparæ feſtiuitates

uitates in ſuos aptos dies, Conceptio, Natiuitas, Viſitatio, Purificatio, Aſſumptio: Redeant ſan̄ctorum, & ſanctarum natalia, vel commemorationes in ſua propria ſubſellia, & cœleſtis curiæ, reginæq́ue cœlitum patrociniis vberius, prolixiúſque ad-
21. iuuabimur. Nec me fugit, Caritatem in
1.Cor.13. cœleſtibus nunquam excidere, beatiſſimóſque ſpiritus non minus eſſe promptos ſua nos gratia, fauore, votis, meritis apud Deum adiuuare vno tempore, quàm alio, ſiue nos ad eorum preces, interceſſionéſue confugiamus die illis dicato, vel non dicato, & ſiue dies ille verè illiuſmodi dies ſit, in quo ſol, expleto per omnia ſigna circuitu, ad eandem ſigniferi partem, vbi
Sap.8. olim fuerat, reuertatur, ſiue non ſit. Verum tamen id ago idq́ue libenter contendam (niſi maiorum doctiorúmque auctoritas me de ſententia dimoueat) Deum Opt. ſapientiſſimum, potentiſſimum, qui omnia cum ſuauitate, ac moderatione regit, & temperat, omnia ſuis ſubduxit numeris, omnia ſuis librauit ponderibus, omnia ſuis adæquauit menſuris, omnia quoque ſuis temporibus lætiora prodire ſtatuit, maiorem, vberiorem, vegetiorem nobis ſpiritum elargiri, vt mentē noſtram

ad ſuæ diuinæ maieſtatis contemplatio-
nem eleuemus, vt cor noſtrum in eius
amore totum incendamus, & colliquefa-
ciamus, vt nos ipſos ad ſanctorum imitan-
da veſtigia, diuináſque illorum amplecten
das virtutes comparemus, eo ipſo die quo
ſancti pro Chriſti gloria ſanguinem ſuum
fuderunt, vel Chriſti, aut eius ſemper vir-
ginis matris myſteria verè euenerunt,
quàm ſi eadem ſacra, vel eorundem ſan-
ctorum martyria non ſuis diebus celebre-
mus.

Quòd ſi vera hæc ſunt, vt eſſe veriſſi- 22.
ma firma conuincit ratio, quid mirum, ſi
cœleſti rore deſtitutam, vel non tempeſti-
uè perfuſam Eccleſiam Dei hac ætate mi-
nus germinare, atque olim ſolebat, immò
verò ſterileſcere in dies videmus? Quid
mirum, ſi capite (qui Chriſtus eſt) influen-
te quidem illo iugiter, nec parcius hodie,
quàm heri, & nudius-tertius, membris ta-
men (quaſi meatibus obſtructis) ex pertur-
batione ſolemnitatum, anguſtius illam ſu-
ſcipientibus, arida videntur omnia in reli-
gione Chriſtiana, ac propemodum emor-
tua?

Quid miri eſt, ſi terra ſine aratione fœ- 23.
cundiſſima, quæ germinauit ſaluatorem Eſ.45.

mundi,non ſuggerente nobis amplius virgineum humorẽ, patribus noſtris feſtiuitates in tempore celebrantibus affatim ſuggeſtum, Eccleſiam Dei noſtra ætate ſpicas raras proferentem,& illas ſat euanidas videmus, & dolemus? Quid denique mirum eſt, ſi vinea Dei,ſanctorum,ſanctarúmque interceſſionibus, quaſi pedamentis non directè ſuffulta, labaſcit, nec vuas profert,ſed labruſcas?

REDEANT ergo,redeant in ſuos cardines collapſi dies,& quæ in rep. Chriſtiana iam corruerunt, vel peiorem minantur ruinam,facile reſarcientur, & pulchriora, firmiora, illuſtrioráque aſſurgent. Video enim (ni me animus fallit) vti ſuperioris ætatis hominum deſidia, & ſacrorum obſeruandorum dierum inertia, caritatis ardor paulatim deferbuit, ita vt vix iam tepeat,& ex tepiditate ſicuti multæ Chriſtianiſmi partes ita alſerunt, vt à corpore Chriſti myſtico abſcindendæ omnino fuerint.Ita,ſi dies feſti in locum,vnde deciderunt,reſtituantur, nóſque tempore acceptabili,veréque gratioſo ſanctorum feſtiuitates concelebrauerimus,fore propediem vt vera caritate ferueant omnia membra Eccleſiæ, &, quæ abſciſſa fuerant, vel

coaleſ-

coaleſcant rurſus,vel in eorum locum alia
lætiora; multóque viuidiora renaſcantur.

Dicet aliquis,contendas quantumli-
bet,nunquam efficies,vt iidem dies(etiam
vti vis)in ſpecie ad normam redeant ean-
dem.Nam ſuperiorum orbium conuerſio-
nes inſenſibili quodam motu vſque adeò
varientur,vt,niſi poſt multa annorum mil
lia (videlicet reuoluto magno quem vo-
cant anno)complicationes omnium ſphę-
rarum inter ſe ad eundem contactum om-
nino non reducantur.

At non ego is ſum, qui res diuinas ad
calculos mathematicos expendere velim,
neque omnipotens Deus; quæ fieri non Io.14.
poſſunt, parari à nobis poſtulat: poſtulat Io.17.
tamen is, qui ſumma veritas eſt, ne quid à
veritate(quatenus humana diligentia, at-
que intelligentia caueri poteſt) aberre-
mus: Non ſunt omnes cœlorum gyri eo-
dem modo complicati; atque olim erant.
quid tum? & quid rei habet cum aliis or-
bibus cœleſtibus ratio dierum præterquã
cum orbe ſolis, cui ſoli dierum diſtinctio,
& cognatio accepta referenda eſt?

Sed, quid tantum verborum, dicat 24.
alius,ecquid aliud ſummus Pontifex præ-
ſtanti ſtudio nunc adnititur, effecturúm-

que illum confidimus,quàm dies feſtos in antiquam dignitatem,maieſtatem,ſancti-tatémque reducere: Hoc ipſum quanam ratione melius,aptiúſq; fieri poteſt, quàm, ſi ad eos dies reponantur, qui ſanctiſſimis Nicæni concilij canonibus cõſtituti fue-runt: Eorum autem ratio decem tantum dies demptos in anno communi, vel vn-decim ad ſummum in biſſextili exigit, nõ verò plures.Præclarè ſanè, nam vniuerſa-lis concilij, & inter vniuerſalia omnium primi (ſi congregationis cum auctoritate ſimul iunctæ ratio habeatur) auguſtiſſima ſemper apud omnes fideles cenſenda eſt reuerentia: ſed non propterea tamen de noſtra ſententia decedendum putarem. Primò non idem antiquis ſanctiſsimis pa-tribus conſilium fuit,atque nos modo co-gitamus: illi componere lites inter Chri-ſtianos de tempore paſchæ celebrandi ſpe ctarunt dumtaxat, diuerſi enim diuerſos ritus in ea re tenebant, & ſinguli ſuos ob-ſtinatiſsimo animo defenſabant,vnde dã-noſum ſchiſma, & ex ſchiſmate pernitio-ſiſsimæ hæreſes in republica Chriſtiana formidandæ erant.Nunc per Dei gratiam nulla eſt propter hanc cauſam in eccleſia Dei aperta diſſentio, conuenimus omnes,

ſed ad

ſed ad eundem lapidem offendimus omnes. Ergo patrum antiquorum ſanctiſſimorum non erat mens annum corrigere, neque id præſtiterunt:ſed diſſidia tantùm inter Chriſtianos exorta, mordicúſq; diſcerpta conciliare, quod apprime Spiritu-ſancto adiuuante præſtiterunt,annúmque lapſantem(neque enim id curarunt)in ſua lubricitate reliquerunt. Nos autem contra,qui primùm excurrentem anni noſtri ſummam quadrare volumus, deinde ita ſolidè aptare,vt poſthac non extuberet, & præterea nihil,cur in patrum Nicænorum veſtigiis inhæreamus,cauſa nulla eſt:Tum quòd(vti aſſerimus)non idem ſpectarunt illi,atque nos:Tum, quòd ſi idem ſpectaremus, & dies decem tantum eximeremus,errorē, ne longius progrediatur(aliis adhibitis remediis à viris doctiſſimis excogitatis) perbelle caueremus: ſed lubricum,in quo patres Nicæni veſtigia figere nequiuerunt,nō propterea exſiccaremus.

VIDE quid agas(obiiciat aliquis) ergóne tam ſanctam ſynodum, támque ſanctè coactam erraſſe,vel errorem non agnouiſſe ſubindicas? Abſit à me:non vſque adeò inſanio,immò inſanum, & vel impium aſſeuerarem,qui tantillum erraſſe, per quos

Spirituſſanctus locutus eſt,affirmaret, aut etiam addubitaret:ſed, ſi prolapſos eos dicerem,cecidiſſe tamen non dicerẽ: Deinde id,de quo agebatur, ad fidem non ſpectabat,ac proinde,ſi quid in eo fuiſſet peccati,non peccatum ad mortẽ fuiſſet. Tum erroris huius corrigendi tunc nulla ſubiit cogitatio patribus ſanctiſſimis, vel, quòd error ſua exiguitate non animaduerteretur,vel,quòd certis de cauſis à ſe huiuſmodi errorem eſſe corrigendum minus duxerunt.Demum,ſi voluiſſent, atque ad id animum applicuiſſent,commodè id facere non potuiſſent,atque id duplici de cauſa. Prima, quòd errorem Iulij Cæſaris in biſexto quaternis annis peragendo, anníque veram quantitatem paulò minorem eſſe,quàm is conſtituiſſet, nondum compererant. Altera quòd,etſi compertum errorem habuiſſent,tollere tamen de medio tres integros dies,Gentiliúmque leges,vel conſuetudines abrogare(de recenti Conſtantino Imperatore Romano ad Chriſti fidem conuerſo) facultatem non habuiſſent. Omnia adhuc redolebant Gentilitatem,& triduum eximi de aduerſariis Gentilium per Chriſtianorũ nouas leges quiritati fuiſſent quamplurimi. Nunc, cùm

integra regna, innumeri principatus, reſpublicæ, nationes vaſtiſſimæ, & potentiſſimæ beneuiuendi leges à pontificibus Chriſtianis, tanquam à Deo, expectent, eorúmque decretis,quaſi diuinis mandatis, parere expetant: & alioqui error ille Iulianus adeò excreuerit, vt dimidiatum ferè menſem adæquet.Nunc, cùm omnes Chriſtiani diuinum cultum ritè peragi malint, vel certè malle debeant, quàm in ciuilibus negotiis exiguam iacturam fieri moleſtè ferant, nunc cùm ſummus pontifex ex doctiſſimorum hominum iudicio dies ſuperuacaneos demere de Calẽdario iam omnino decreuit,& tres plus, vel minus demere,reipublicæ nihil interſit, cur in ſtadio(decurſo propè ſpatio)ſubſiſtimus & non ad metam potius victores conſidemus?

Sed dices,Patres noſtri,ne cum Iudæis iudaïzarent, alio die, quàm illi, ſanctum Phaſe colendum eſſe cenſuerunt, etiam ſi præceptorum Dei verba obſtare videri poterant,& tu,cum Ethnicis contra ſanctorum patrum certiſſima decreta,qui diuinorum præceptorum ſententiam nobis aperuerunt, gentilizare non vereberis? ac propterea 13. potius dies, quàm 10. ampu-

tandos eſſe contendis, vt ad Gẽtilicios fa-
ſtos, Iulianámq; regulam ralabamur? nón-
Pſal. 95. ne pręſtat Nicęnæ ſynodi Calendarium in
integrum reuocare, & ſanctorum patrum
fixos terminos non euellere?

Qvid tv mihi Gentiles obtrudis? va-
leant Gentes, diíque Gentium glumei.
כִּי כָּל אֱלֹהֵי הָעַמִּים אֱלִילִים nos Domi-
num Ieſum adoramus, ad eúmque verum
Deum noſtrum, quęcunque facimus, quę-
cunquéue cogitamus, in veritate referi-
mus: ipſe veritas eſt, & veritatem nos in
cunctis rebus ſectamur: qui à veritate aber
rant, à Ieſu Domino, & Deo noſtro aber-
rant. Veritas autẽ ipſa cogit, ſi verum diem
tenere ſtudeamus, in quo vera ſalus mun-
do & nunciata per Angelum, & ſimul con
cepta per Spiritumſanctũ fuit in vtero vir
gineo, non aliũ nobis diẽ, quam æquino-
ctij verni diẽ eſſe quærendũ, quocunq; ille
præſignetur numero vel nuncupetur no-
mine: ab hoc die, quaſi à centro certiſſimo
immobili, atq; immutabili omnino, alio-
rum feſtorũ lineæ producendæ nobis erũt.
Benè nobiſcũ egit Naturæ pater, ac Deus
noſter, ſignum in cœlo dedit, ad quod reſ-
picientes errare in terris non poſſimus,
ſignum fuit æquilibrium dierum cum

noctibus. Cui hominum ſignum huiuſmodi apertiſſimum non eſt? vbique gentium eodē momento ſemper fuit ſemperq́; erit, dum circumagētur orbes cœleſtes, dieſq́; libramenti illiuſmodi idem eſt, idémque erit ſemper apud omnes, ſed notatio eadem ſemper non eſt: Tempore, quo virga Eſa. 11. Act. 13.
de radice Ieſſe egreſſa iam erat, illa dies, Ad Ro.
qua primitus flos de radice eius aſcen- 15.
dit, ad 8. Kal. April. adnumerabatur: ad eiuſdem nomenclaturæ diem & nos hodie ſacratiſſimam incarnationem domini celebramus: verum, ſi par illud dierum (vt par eſt) ad iuſtam lancem expendamus, longiſſime inter ſe diſtare comperientur, & ſane tantum, quantum ab æquinoctio vernali 8. ante Kal. April. diſtat: Si numerare non pigeat, 13. dies aut plus, minúſve (craſſa enim minerua agimus) inueniemus. Ergo totidem demendi ſunt, & non 10. tantum: Nam, etſi patres Nicæni æquinoctium in duodenis Kal. April. repperiſſent, ibíque conſtituiſſent, tamen, quia fugitiuum ſuis ergaſtulis retinere nequiuerunt, & re vera, quando Chriſtus de cœleſti ſede deſcendens, & à paterna gloria non recedens, nouo ordine, noua generatione incarnatus eſt, octauæ Kal. April.

numerabantur (vt totius Eccleſiæ conſenſus indubitata fide ſemper credidit.) Atq; hæ in ipſa die æquinoctij verni tunc inciderunt, temporis veriſſimi, certiſſimi, atque vbique locorum compertiſſimi, ſiue tunc ſolem Arietis primi mobilis ſignum ingredientem, ſiue Zodiacum ibi æquatorem decuſſantem ſpectemus: vnde fit, ſi diem hunc in ſua ratione, ac veritate, & non verbotenus tantum repræſentare ſit cordi, tantumdem dierum abſcindendum de noſtro Kalendario eſſe, quantum ab æquinoctio verno diſtat nunc noſter dies 25. menſis Martij, in quo paſſionis Dominicæ annus ſuum æquinoctium habuit: & non, quãtum, ab eodem diſtat 21. eiuſdem menſis, in quo ſuum æquinoctium ſtatuerunt Nicæni patres. Hoc ſi fecerimus, hoc eſt, ſi ad dies Iulianos non ad Nicænos retrogradiamur, haud propterea Canones hac ipſa de re conſtitutos à ſanctis patribus tranſgrediemur, neque enim à ſanctiſſima ſynodo ſancitum fuit aliud prætérquam quòd ſolemne, & venerabile paſchę tempus celebraretur quotannis, tribus rebus ſeruatis, æquinoctio verno, Luna 14. & dominica die: hæc nos & religioſe ſeruamus, & ſeruanda omnino eſſe prædicamus,

mus, quòd autem iidem patres æquinoctium ſtatuerent ad 12. potius, quàm ad 8. Kal. remearent, ad rem nihil pertinet:&,ſi ad rẽ pertineret,nobis de anno nunc quicquam deterere non liceret,ſed patrum veſtigia relegentes æquinoctium figere deberemus, quo loco noſtra ætate reperitur ad 6.Id.Martias.

Quid? quòd ſi canones Nicænos violaremus, maiori adhuc piaculo obſtricti teneremur; neque enim patres Nicæni noui tum quicquam conſtituerunt, ſed ſanctiſſimorum patrum,& maximorum pontificum Pij, & Victoris, immò Apoſtolorum ſacroſanctas ſanctiones confirmarunt. Quid?ſi vel Canonem ipſum ſanctiſſimum Nicænum de obſeruando paſchate, quod nulla ratione inflecti poteſt, alia tamen quaſi theca aſſeruandum eſſe doceamus? Age,nónne per Dei omnipotentis gratiam ſicut Sol cœleſtis circumquaque omnes terræ partes colluſtrat, ſic ſupercœleſtis ſol Chriſtus noſter ſuæ veritatis luce animos hominum iam per omnes habitabiles terræ tractus accendit? Nonne veriſſimam nunc prophetæ Regij vocem agnoſcimus? בְּכָל הָאָרֶץ יָצָא קַוָּם & in fines orbis terræ verba eorum? Nonne apud

25. De cõſe. diſt.3.c. Noſſes & c. Celebritat. Cant. Apoſt. 7. Pſal.18.

apud antipodes Ieſu nomẽ per alios multos, ac præcipue per Ieſuitas ſanctos homines propagatum eſt?Nónne Chriſtiana religio virtute, armis, ac pietate ſummorum regum apud eos, qui in aduerſo hemiſphærio pedum plantas noſtris plantis è regione obuertunt, diſſeminata eſt?nónne iſti ſuum,immò noſtrum,Chriſtianum, & verũ paſcha nobiſcum celebrant? Nónne Nicæno Canoni de paſchate peragendo, vti nos, adhærent? Nónne Romanorum Pontificum legibus, inſtitutis,ritibus obtemperant fruuntúrque? At ſanctúmne paſcha recolunt obſeruato æquinoctio verno,& Luna 14.primi menſis, vt Canon Nicænus verbis præcipit? Minime gentium (ni falſus ſum) immò æquinoctium obſeruant, & Lunam πανσέληνον menſis ſeptimi, maior nanque ratio conſenſus animorum habẽdus eſt in Eccleſia Dei,quòd vno atq; eodem tempore ſimul feſta peragãtur per vniuerſum orbem, quàm quòd verba legum ſummo iure ſeruentur,atque interim mens legiſlatorum infringatur: Ergo Canon ille auguſtiſſimus aliis verbis proferendus erit. Et Æquinoctium, non vernum,quoniam vernum eſſe œcumenicum non eſt, ſed Æquinoctium (puta) Arieti-

Arietinum vocitandum fortaſſe fuerit.
Neque id temere (meo iudicio) quando 26.
non temere factum eſſe putem hoc ipſo
tempore Sole arietem intrante, verum ſo-
lem Chriſtum & agnum eſſe factum in Eſa.16 &
vtero virginis, qui tolleret peccata mundi, 53. Ioā.1.
& quaſi ouem ductum fuiſſe ad victimam Ac. 8. 1.Pet. 1.
in patibulo Crucis, & veluti arietem hæ- Eſa.7.
rētem cornibus inter vepres delictorū no- Ac.8. Gen. 22.
ſtrorū obtuliſſe ſeſe in holocauſtū pro filiis
ſuis. Hinc ſatis mirari non poſſum, cur viri
præſtantes, vt feſtorū immobilium redu-
ctionem præ mobilium obſeruatione ele-
uarent, dixerint feſto paſchatis ſubeſſe
magnum myſterium, feſto Natiuitatis, vel
Incarnationis nullum, ſed id propriam di-
ſputationem, & ab hoc loco alienam ex-
poſcit. Dicendum mihi potius eſt, quòd
nonnulli merito obiicere poſſent. Cele- 27.
brat Eccleſia de menſe Octobri Marty-
rium miraculo celeberrimo confirmatum
Dionyſij Areopagitæ Epiſcopi Pariſienſis
cum eius ſociis Ruſtico, & Eleuterio, ſi
tuam rationem ſequamur, feſtum illius
quod ad 7.Id.Octob.occurrit, ad diem an-
te 5.Kal. Octobr.retrahendum erit: De eo-
dem menſe celebrat Eccleſia B. Franciſci
retributionem illi datam in cœlis inter iu-

ſtos

ſtos pro ea iuſtitia, quam in terris omnes docuit paupertate, patientia, ac fide erga Romanam Eccleſiam Catholicam. Sanctam memoriam illius veneramur ad 4. Non. Octobr. num ſimili analogia retroeundum nobis erit ad 10. Kal. Octob. vt 13. dies vtrobique pariter demantur? ſi negas, mirificam, & ferè inextricabilem perturbationem feſtorum inuehis: ſi ais, falſi facile conuinceris. Nam, vt feſtum D. Dionyſij, qui temporibus Apoſtolorum vixit, probè tantumdem retrogradiatur, ſolennitas certe D. Frãciſci, qui anno poſt Apoſtolorum tempora pluſquam milleſimo, & cẽteſimo vitam cum vita meliore commutauit, minus probè tantumdem remearet. Primum reſpondeo in hoc vado perinde hærere illos, qui 10. dies abſumunt, atque nos, qui 13. vel 14. Deinde, ſat expeditam patere ſemitam affirmo: neque enim ratione Arithmetica incedendum eſt, ſed Geometrica, & adhibitis viris rerum antiquarum geſtarum, & cœleſtium conuerſionum peritis omnis perturbatio facile ſedari poterit maximo cum reipublicæ Chriſtianæ emolumento, atque ornamento.

28. Demum non modo libenter fatear, feſtorum

ſtorum, quæ colimus, aliqua plus, aliqua minus, pro annorum Chriſti ratione, à locis, vbi nunc ſunt, eſſe quaſi remulcanda, ſed auctoritatem etiam Eccleſiæ ſupplici-ter requirerem, vt Commemorationes plurium ſanctorum, ſanctarúmq; aliquando diuiderentur, & ſuis propriis in locis aptius (nouo etiam) & vbique vnico martyrologio confecto reponerētur: quo beatarum animarum in cœlo regnantium patrocinia largiora nobis, & cumulatiora diſtribuerentur. Exempli gratia: ad diem ante 5. Kal. Auguſt. celebramus Natalia ſanctorum Nazarij, Victoris, & Innocentij: at à B. Nazario, qui baptizatus fuit à Lino D. Petri ſucceſſore, vſque ad S. Victorem, qui ſanctum paſcha die dominica nobis coruſcare ſanciuit, & ſub Seuero Imperatore rexit Eccleſiam, pluſquam anni centum ſine dubio interceſſerunt: Et S. Victoris, & S. Innocentij, qui D. Hieronymi temporibus in Apoſtolica cathedra ſedebat, pontificatus inter ſe plus quàm annis ducentis diſtarunt. Ergo ſacri natales S. Innocentij à natalibus ſanctorum Nazarij, & Celſi triduo, à natali autem S. Victoris biduo; & inter ſe Nazarij, & Victoris vno ſaltem die minimum diſtare comperiemus.

mus. Et,ſi D.Pantaleonis medici, & martyris ſacrum natalem hoc ipſo die colere vellemus,quo ſub Diocletiano Imperatore equuleo tortus martyrij coronam adeptus eſt,&non pridiano,vt modo facimus, iuſta calculi proportione adhibita, illum à Natali ſanctorum Nazarij, & Celſi pueri biduo prope diſtare videbimus: vt verbi gratia ſanctorum Nazarij & Celſi natalis celebretur(vt modo celebratur)5.Kal.Auguſt.S.Victoris 6.S.Pantaleonis 7.S.Innocentij 8. Kal. itidem Auguſti. Vtamur adhuc exemplo altero magis perſpicuo S. Dominici, nobiliſſimæ, & numeroſiſſimæ familiæ patris, quæ ſanctæ prædicationis face terrarum orbem incendit, obdormitionem in domino veneramur Non. Aug. licet pridie modo per tranſlationẽ feſtum illius celebretur: iiſdem Nonis ſextilibus miraculum de templo S. Mariæ Maioris in Eſquilino colle cõſtruendo recolimus: &B.itidem Ariſtarchi,S.Pauli Apoſtoli diſcipuli natalem pia cum veneratione memoramus: Ad Nonas Auguſti nuncupantur quidem hi dies omnes, ſed ad veras Nonas Auguſtanas accidiſſe illos omnes, inficias libenter irem: Siquidem D.Pauli diſcipulus (nondum æquinoctio per integrum

grum diem ſuo de gradu remoto) potuit in veris Auguſtanis Nonis extremum vixiſſe diem:ſed Eccleſia B.Mariç,quæ olim Baſilica Liberij dicebatur,propterea quòd ſub Liberio ſummo Pontifice per miraculum niuis hæreditas Patricij Romani adita eſt à Deipara Virgine, conſtructa cùm fuerit circa annos domini 360. iam æquinoctium ſedem ſuam præuerterat per integros tres dies. S. Dominicus verò certum patrimonium caritatis,humilitatis,& paupertatis fratribus ſuis teſtamento reliquit, anno 1220. cum iam æquinoctium anticipaſſet locum antiquum pluſquam integris diebus nouem,vnde liquido conſtare poteſt, memoriam B. Ariſtarchi rite recoli ſuis Nonis Auguſti, dedicationem Templi B. Mariæ ad præſepe aptius celebrari 4. Non. Auguſti, feſtum vero S. Dominici verius à nobis poſſe & feriari,& venerari de menſe Iulio,eo ipſo die, quo Nazarij, Celſi, Victoris martyrum, & Innocentij Papæ & confeſſoris, quem tamen martyriographorũ aliqui martyrem Chriſti fuiſſe teſtantur feſta peragimus. Sed de his,& de aliis id genus longe melius periti, & diligentes viri ſupputando iudicabunt: mihi tantum indicaſſe,quòd è re Chriſtia-

na ducam, ſatis eſſe debet. Ergo redeundum nobis in viam eſt,&compendio concludendum , quæ dicta fuerunt à nobis hucuſque ex propoſito.

Si festorvm immobilium habenda aliqua ratio eſt, in ſuas proprias ſedes reducenda ſunt:ſi reducenda in ſuas ſedes ſunt,lapſus dierum à tempore Auguſti vſque ad noſtra tempora, integer corrigendus eſt:Non corrigetur autem integrè,niſi dies 13. aut aliquanto plus, & non decem tantùm deducantur. Sed feſtorum immobilium habenda aliqua ratio eſt, neq; fortaſſe tenuior, quàm mobilium : Ergo dies 13. aut aliquanto plus, & non 10. tantùm deducendi erunt, quod probare intenderamus.Si hæc ratio non conuincit, quibus repagulis cogatur humanus intellectus, equidem non video. Accedunt adhæc & aliæ rationes, quæ licet non cogant, inuitant tamen. Harum aliquot ſubiungere non pigebit.

29. Prima eſt, Multas ampliſſimáſque prouincias noſtra ætate ab Eccleſia Chriſti ſuamet peruerſitate, ac falſorum dogmatum electione ſegregatas. Nónne paſtoris officium eſt,errantes oues ad paſcua reuocare? immò nónne paſtoris cura,& ſedulitas

tas maxime laudatur, in morbidis gregibus quacunque ratione id fieri poſſit, ad ſanitatem reducēdis? quod ſi inſani, & perditi homines, in reprobum ſenſum dati, nec ſanari, nec nobiſcum conſentire volunt, non committamus ipſi vt noſtra aliqua culpa illi longius à nobis diſcedant. Mirifica quædam vis eſt in conſenſione animorum, vnica, vel etiam minima in re, & manus domini abbreuiata non eſt: Et quis ſcit, num vnius rei conſenſus, maximorum, & quamplurimorum diſſidiorum componendorum principium eſſe poſſit? Si dies duntaxat 10. eximamus, & æquinoctium ad diem duodenarum Kalen. April. figamus, in quo patres Nicæni illud ſtatuerunt (quæ hæreticorum proteruia eſt, omnia ſanctorum patrum dicta, geſta, decreta conuellere) refragabuntur refractarij homines (video) neque nos placidè, atque amicè ducentes ſubſequentur. Contra verò, ſi dies 13. vel quantum ſit opus, ſubducamus, vt æquinoctium vernum collapſum in Iulianam ſedem reponamus, non quidem quia Iuliana ſit, ſed, quia quando Chriſtus & conceptus, & mortuus eſt, tali dierum numero, & nomini adſcribebatur, velint, nolint contumaciſſimi homines Eſa. 59.

 mines

mines,ceſſim eant, reſtitent, obluctentur quantumlibet,præeuntes nos & natura,& re, & ratione ſtipatos, pone ſequentur, Quantum hoc ſit (Cardinal.Illuſtriſſime) precor diligenter aduerte, vt ex vno errore quamuis exiguo paulatim in quamplurimos,longéque maximos detrudimur, & & vt ex vna, atque ea modica diſſenſione à principio inter cognatos, & famliares ſæpenumero internecina diſſidia conflantur; ſic ex vna non magnæ rei conſenſione inter capitales inimicos maximis interdum ſimultatibus modum fuiſſe impoſitum agnouimus. Quis ſcit,an hanc parauerit Deus rationem, vt abſciſſa,& putrefacta membra corpori Chriſti myſtico agglutinentur, & reuiuiſcant? Ignis permiram eſſe vim,nullus eſt,qui non videat, & caritas ignis eſt proculdubio, & ex amoris diuini ſcintilla ingentes chariſmatum ſtrues in animis noſtris facile incendi poſſe nullus dubitabit.

30. SECVNDA ratio hæc erit.Si quæramus in emendatione anni, cur malint 10. dies omittere,quàm 13.vel 14.nullã potiorẽ cauſam adducent, quàm quòd hac ratione, loci nomen ac numerus, in quo ſanctiſſimæ auctoritatis, ac venerationis patres Nicæni

Nicæni æquinoctium repererunt , & ibi perpetuo ſtaturum putauerunt,non temere mutaretur,modo operam demus,ne inde poſthac dilabatur, ſed , quantum fieri poteſt , arcte inibi affigatur : At, ſi, antiquorum patrum , religio eſt,tenere numeros , & voces , cur non Apoſtolorum vocibus, & numeris potius , atque eorum , qui Apoſtolos proxime ſequuti ſunt , ſanctiſſimorum patrum noſtrorum, adhæreamus? Et,ſi patribus Nicænis licuit nomen,& numerum diei Æquinoctialis à temporibus Apoſtolorum , & eorum immediate ſucceſſorum collapſi mutare,vt veritatem tenerent ; cur nobis non liceat diſcedere à nominibus , & numeris patrum Nicænorum,vt nomina , & numeros , immò rem, & veritatem ipſam Apoſtolorum inſtauremus ? præſertim, cùm noſtra inſtauratio perpetua futura, neque vitium vllum vlla vnquam ætate factura, nedum corruitura videatur ? &,ſi patrum Nicænorum tantópere inhærere veſtigiis placet, cur non & nos , vt illi fecerunt , æquinoctium potius ibi collocamus , vbi noſtro ſæculo reperimus ? & omnem curam reponendi illius in antiquam faciem deponimus ? Tertiam quoque rationem ſubiungamus.

31\. Qvae cvm laude gerimus, integra & numeris omnibus abſoluta præſtanda ſunt: fundamenta præclarè iaciantur, parietes egregiè ſubſtruantur, at culminis compago negligatur, architecti quæ gloriatio erit? Præclarum certe facinus eſt labentem annum (errore noſtro, non ſuo) fulcire, vt vitiũ facere non amplius queat: præclarius multo eſt collapſas anni partes ita reficere, atque inſtaurare, vt penè ſuam priſtinam integritatem, ac ſplendorem recuperet, verumtamen, quod carioſum eſt in ædificio, timoris ſemper aliquid ſolicito patrifamilias incutit, qui ſæpe ſeipſum incuſat, optaſſétque ſemel ædes nouas è lapide rediuiuo maiori cum diſpendio conſtruxiſſe, quàm tanta cum formidine arcæ nimium peperciſſe. Annum habemus, vel ſua antiquitate, vel ex amuſſi adulterina valde inclinatum: erigere illum, & ad perpẽdiculum ſtatuere conſilium eſt: Architecti omnes clamant, demoliendã eſſe partem: Num dubitent fabri totum illud abſcindere, quod à norma deflexit? Non (credo) ſi ſapiant: Quid ergo cunctamur, Cur non gnauiter, & intrepidè diruimus, quicquid extuberat? præſertim, cùm, vt ſunt omnes homines natura laudis appetentiores

tẽtiores, periculum ſit, ne poſt noſtra tempora ſuccedant aliqui, qui cauſantes nos ad vnguem omnia non correxiſſe, & in fundamentis vitij aliquid reliquiſſe, gloriam hanc emendati anni nobis præripiant, ſibíque arrogent.

QVARTA nunc ratio huius generis, quæ quintum totius diſputationis locum tenet, conſequitur: Hæc autem huiuſmodi eſt.

Tota diſputatio noſtra verſatur in hoc 32.
cardine, Ampliſſime Cardinalis, Nicænúmne æquinoctium potius, an Romanum ſit ſtatuendum: ſed Pontifex Romanus, cætera ſi adſint paria quomodo non Romanum, ac ſuum, alienis, & exoticis præferat? Equidem non ignoro, concilium Nicænum authoritate ſummi Pontificis B. Sylueſtri fuiſſe congregatum, ſed in eiuſmodi negocio permultum etiam Alexandrinis mathematicis detuliſſe nouimus: Ergo nunc, cùm oleaſter factus oliua eſt, & dulcis, & pinguis; nunc, cùm ancillæ filius hæreditatem paternam adiit; nunc, cùm Romam Gentium olim caput, & dominam, hodie matricem, & nutricem Eccleſiarum omnium veneramur, nunc, cùm ritus Romanos (ſi qui ſuperſunt

Ad Ro. 11.

Ad Gal. 4.

adhuc paganiſmum omnem exuiſſe, & Chriſtum induiſſe conſpicimus; cur Romanus Pontifex Æquinoctium reducere in Romanorum ſedem vereatur? Habebat Chriſtus mundi dominus ſexcentos in orbe locos, vbi Eccleſiæ ſuæ ſedem collocaret, non veritus eſt tamen in media Gẽtilitate illam ſtatuere, ſed Romam elegit: Cur nos, Romani Æquinoctij nomen, & locum tantopere horreamus?

33. SED tempus eſt, quæ hactenus diximus colligamus, atq; vltimam rationem, quaſi extremam manum, noſtræ diſputationi imponamus: Et, quoniam te alloquor (Præſul Illuſtriſſime) qui ſummi Pontificis noſtri vices geris in hoc negotio, quod Chriſti gloriam ſummopere poſſit amplificare, liceat mihi (quæſo) orationem meam conuertere ad ſummum ipſum pontificem, qui Chriſti vices gerit in vniuerſo terrarum orbe: Eia Pater ſanctiſſime, Tu ſumma pietate, præſtantique ſtudio ſancti Paſchæ celebrandi tempus legitimum reducere adniteris, &, quaſi vulnus Eccleſiæ patens, notúmque omnibus clementer, ac benignè ſanas. Cur nõ & vlcus internum, quod minus apparet, eadem benignitate ac pietate ſimul curas? Cur Chriſti, qui caput

put noſtrum eſt,ſanctorúmque cœleſtium qui nerui noſtri ſunt, ſalutares influxus in nos,qui viua membra ſumus eccleſiæ, largius,prolixiúſque pro tua paterna caritate deſcendere non ſinis? Sines autem,ſi,feſtis diebus in ſuos legitimos artus repoſitis 13. dies tollas de noſtro Kalendario, vel 14. non autem ſi 10. tantùm. Eia pater, & paſtor Clementiſſime, cur perditos greges, non omnibus, quibus potes, modis, & quatenus in te eſt,ad bonam frugem redire etiam inuitas?inuitabis autem,ſi 13.dies, vel 14. in correctione anni demendos iubeas,non autem,ſi 10.tantùm.Eia pater patrum, ſi cum ſanctis patribus conſentire ſtudium ſit, in figendo Æquinoctio in die 21.menſis Martij, cur non ſtudioſius concinere curemus cum ſanctiſſimis Apoſtolis,immò cum ipſo Chriſto patre, ac Deo noſtro,in figendo æquinoctio ad diem 25. Martij?Concinemus autem cum Apoſtolis,& cum Chriſto, ſi dies 13. vel 14. demamus,non autem,ſi 10.tantùm.Eia pater, & rector ſapientiſſime, Cur in vndis mediis vela contrahimus, & non potius ad optatum portum vna-met, atque eadem aura prouehimur?procliue nobis eſt cum feſtis nutantibus, ſtata etiam rite ſeruare: Cur

E 5 confecto

confecto penè curſu palmam, quam manibus tenemus, aliis præripiendam linquimus? linquemus autem, ſi non dies 13. vel 14. demamus, ſed 10. tantùm: Eia pater, & pontifex Romane, ſi Romani ritus, qui reſtant, olim nefaſti, & impuri, ſanctorum Chriſti ſanguine mundati ſunt, & ſanctificati, cur alienos, & barbaros dierum calculos ſequaris potius, quàm tuos, & Romanos? Tuos autem, & Romanos ſequeris ſi treſdecim vel quatuordecim dies de anno minuas & non ſi decem tantùm. Eia tandem Pater, & paſtor, rector, & pontifex vigilantiſſime, Tu Gregorius es, & XIII. diceris, Quia Gregorius es, vigilare te in gubernaculis eccleſiæ moderandis videmus omnes, & laudamus, Quia XIII. diceris, fac vt non immeritò futura ætas nomē tuum celebret, & diuino conſilio factum fuiſſe admiretur, à te decimotertio, treſdecim dierū diminutione annū in ſuam integritatem renouatum, vel adiuncta eccleſiæ vnitate (cuius cor vnum & anima vna eſt) quatuordecim diebus demptis (ſi magis id expediat) ſanctorum feſtiuitates in ſuos ſanctos dies ſumma ſanctitate, ac pietate fuiſſe reſtitutas.

34. SIC FIET, vt, quæ in animis hominum

ex multorum Aſtrologorum præcocibus, ac futilibus prædictionibus inſedit opinio nimium meticuloſa,atque inanis,futuram eſſe propediem,magna cum totius reipublicæ vaſtitate , horrendã rerum omnium viciſſitudinem, bonitate tua , & ſapientia tua,pater optime , ac ſapientiſſime , facile eludatur.Nam, ſi commotis partibus , totius quoque mutationem fieri neceſſe eſt, anni per te ratione innouata , ſæculum quoque , quod ex annis conſtat , innouatum eſſe iudicare,& in Deo domino noſtro Ieſu Chriſto confiſi, deinceps meliora omnia ſperare poterimus.

*

FINIS.

SACRORVM
TEMPORVM
ASSERTIO.

Hugolini Martelli Epiſcopi Glandatenſis:

AD

Reuerendum D. Ludouicum Martellum
fratrem, Canonicum Floren.



LVGDVNI,
Ex Officina Franciſci Conrardi.
cIↄ. cI. LXXXII.
Cum Licentia, & Priuilegio.

ARGVMENTVM OPVSCVLI.

LIBELLVS De anni integra in integrum reſtitutione dicebat, demendos eſſe 14 de anno dies potius quàm decem, hac potiſſimum ratione ductus, quòd feſta fixa ſuis propriis cardinibus ſic collocarentur: id quod ad ſanctorum feſtiuitates ritè celebrãdas, Chriſtíque Dei noſtri ſacra myſteria aptè veneranda, & recolenda permultum referret. Docti quidam viri neque rem, neque cauſam probarunt, & nonnullas rationes cõtra obſeruarunt: Auctor ad veritatem rei tutandam, & pietatis cauſam in ſacris temporibus defendendam, hoc Opuſculũ inſtituit, quod propterea Sacrorum temporum aſſertio inſcribitur.

QVÆ IN OPVSCVLO potiſſima contineantur.

1. AMOR quomodo ſimul vocari poßit, & fortis, & timidus.

2. Duodecim repræhenſiones contra libellum, De anni integra reſtitutione, quæ ſint.

3. Pietatem ſolam eſſe, quæ auctorem impulerit ad reſpondendum iis duodecim repræhenſionibus.

4. Summum Pontificem ipſum opinionem auctoris opinari, & tantum non decernere.

5. Acribologiam quærere eandem in omnibus, hominis eße non nimium periti.

6. Tractatio aſtronomica quomodo diſtinguatur à politica.

7. Vnico argumento, ſed inuincibili probari opininem de anni integra reſtitutione.

8. Quatuor eße anni reſtituendi rationes.

9. Solam illam quæ auctoris eſt, reducere cum feſtis mobilibus, etiam immobilia in ſuos locos, & non abducere à ſuis nominibus.

10. In negotio religionis quæ videntur minima, cenſenda eße maxima.

11. Locorum magnas eße vires in religione.

12. Eſaiæ locus explicatus, & collatus cum loco D. Matthæi

D. Matthæi de fimbria.

Quo vocabulo templum vocetur apud Hebræos, & cur ita. 13.

Locus D. Pauli orandum eſſe in omni loco, quomodo intelligendus. 14.

Tẽporũ quoq; magnas eſſe vires in religione. 15.

Eccleſia cur menſes, & dies natales ſanctorum diligentiſſimè recenſeat, annos omnino videatur negligere. 16.

Temporis circunſtantiam paulo pluris pendendam eſſe in religione quàm loci. 17.

Feſtiuitates dicatæ plus afficere pios animos, quàm tranſlatæ. 18.

Omnes dies eſſe Chriſtianis æquales, quomodo intelligatur. 19.

Cur dierum facta diſtinctio in eccleſia Dei. 20.

Sacratiora eſſe quædam tempora præ aliis. 21.

Hora nona cur aſcẽderent Apoſtoli in tẽplũ. 22.

Suum eſſe tempus rebus omnibus, etiam in religione. 23.

Locus D. Ioan. Euangeliſtæ obiectus non indiligenter explicatus. 24.

Decem myſteria maxima quæ in quatuor verbis eius loci continentur. 25.

Ex adoratione ſublata de excelſis, & de Hieroſolymis, non rectè colligi, Deum nihilo melius adorari in templis quàm extra templa. 26.

Quomodo cùm Samaritani, tum Iudæi ado- 27.

F *rarent*

rarent quod neſcirent, Chriſtiani ſoli adorare verè dicantur quod ſciunt.

28. *Salus ex Iudæis eſt, idem valere quod verbum caro factum eſt: atque hoc amplius, verbū caro factum Ieſus eſt, quem Sāmaritana videt.*

29. *Corpus Chriſti adorandum in Euchariſtia nouo quodam modo probari de verbis Chriſti Samaritanam alloquentis.*

30. *Adorare patrem in ſpiritu, & veritate, eſſe Deum adorare in Trinitate perſonarum Patris, & Filij, & Spiritusſancti.*

31. *Chriſtum propriè, vel ſaltim appropriatè appellatum eſſe veritatem.*

32. *Quid ſit quòd in ſacris litteris tam ſæpe legatur miſericordia coniuncta cum veritate.*

33. *Quid ſit quòd miſericordia dicatur eſſe in cœlis, veritas vſque ad nubes.*

34. *Cur interrogatus Chriſtus à Pilato, quid eſſet veritas, tacuit.*

35. *Loci D. Io. ex c.8. & D. Pauli ex 2.Theſ.2. collati inuicē cum loco Pſal.42.* Emitte lucem tuam & veritatem tuam, *& ſimul explicati.*

36. *Cur retentæ voces Hebraïcæ Hoſanna, & Amen, & quid vnaquæque illarum propriè ſignificet.*

37. *Quæ differentia ſit inter Hoſanna filio Dauid, & Hoſanna in excelſis.*

38. *Cur in diuinis interdum perſona tertia præpona-*

ponatur ſecundæ.

Metaphyſicos videre potuiſſe quaſi per nu- 39.
bem diuinam eſſentiã diſtinctam tribus perſonis.

Etſi Deus alibi dicatur eſſe ſpiritus, hic con- 40.
tra, ſpiritus dicitur eſſe Deus.

Qui ſit qui nobis annunciat omnia, & quo- 41.
modo.

Chriſtum fuiſſe Deum, & hominem, vnde 42.
Sammaritanæ innotuerit.

Qua hora per ſalutationem Angelicam di- 43.
uini verbi incarnationem intimius reuereamur.

Quid ſit, orare ſemper, & nunquam deficere. 44.

Opinionem auctoris de ſacris temporibus nul- 45.
lo modo ſapere gentilitatem, nec ſemper Ethni-
cum eſſe Ethnicorum tenere conſuetudines.

Homines in colendo Deo non exuere omnem 46.
humanitatem, Deo non eſſe nimis inuiſum.

Cur Deus homo, ratio vera, & his tempori- 47.
bus ſcitu valde vtilis.

Cur Chriſtus in Eucharistia, ratio noua & 48.
his temporibus cognitu valde neceſſaria.

Veritatem Chriſtianæ fidei probari ex du- 49.
plici hac vera, & noua ratione.

Cœlum empyreũ & eſſe, & corpus eſſe, nec 50.
tamen moueri, & influere nihilominus in nos.

Influxus huius cœli patrocinia eſſe, quæ no- 51.
bis præſtantur à ſanctis, & ab Angelis in no-
ſtris orationibus.

52. *Opinionem auctoris nulla in re conuellere canonem paſchalem concilij Nicæni.*

53. *Quæ pietatem promouent in vniuerſa Eccleſia, non eſſe cur propter incommoda ciuilia, & priuata reijciantur.*

54. *Sacrorum temporum diſtinctionem, & ſanctitatem quæ res potiſſimum efficiant.*

55. *Veritatis quanta religio debeat eſſe in vera religione.*

56. *Temporum obſeruatio quæ vituperetur & quæ laudetur.*

57. *Rurſus cur eccleſia temporum obſeruantias & quatenus inſtituit.*

58. *Euangeliſtas nihil certi nobis reliquiſſe de vera die paſſionis dominicæ.*

59. *Si de anno dominicæ paſſionis non conſtat, neque de die poſſe vllo modo conſtare.*

60. *Menſem quoque paſſionis dominicæ doctis quibuſdam non eſſe æquè certum.*

61. *Eccleſiam ſanctam, quæ permittit Græcis conſecrare in fermentato, ſat nobis argumenti præbere, non ſibi conſtitiſſe de certo dominicæ paſſionis die.*

62. *Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ iudicio, atque auctoritati ſe, ſuáque ſubdit obedientiæ filius, auctor opuſculi.*

SACRO

SACRORVM TEMPORVM ASSERTIO.

HVGOLINI MARTELLI Epiſcopi Glandatenſis:

Ad Reuerendum D. Ludouicum Martellum fratrem, Canonicum Florentinum.

QVI ME nodus olim anxium, & quaſi diſtrictũ aliquantò habuit frater amantiſſime, de amoris vi, atque ingenio cogitantẽ, illum modo amoris in me tui cuſpide laxatum, ac planè ſolutũ video eſſe, ac lætor pauidum omnino, ac ſolliciti negotium timoris plenum quomodo Philoſophi, vel etiam Poëtæ nobis effinxerunt amorem, ſi vates, ac ſapiens longe melior, fortem, ſicuti mors eſt, dilectionem eſſe aſſeuerauit? pugnantes ex aduerſo qualitates ſimul Cant.8.

 eodem

eodem ſub tecto habitare nullo modo poſſe videbantur:vtrumq; tamen in amore ſimul eſſe,beneuolentiſſimæ tuæ ad me ſcriptæ litteræ inſinuarunt, & quomodo ſimul etiam pugnantia conſiſtant, præclarè enodarunt: Nam vt primùm mea illa lucubraciuncula de anni integra in integrum reſtitutione in manibus hominum verſari,&, vt in re iamdudum à diuerſis didiuersè tractata neceſſe fuit,nonnullorum repræhenſiones incurrere cœpit, ſtatim
1. veluti tenella pro filia mater,expauiſti: En amoris pauida mens, ac ſollicita: Hinc repræhenſionum cauſas diligenter perueſtigare, colligere, examinare non deſtitiſti, collectas, & diſcuſſas maturrimè ad me perferandas in longinquas,& abditiſſimas vſque terras curaſti:En forte pectus fraternæ dilectionis intrepidúmque. Ergo, germane frater,& in mea exiſtimatione pauidus,tremulúſque protegenda fuiſti, & in tuis fraternis officiis præſtandis,acerrimas amoris flammas eſſe docuiſti. Sed non eſt cur paueas frater,bono animo eſſe iubeo, virgunculæ intacta pudicitia adhuc eſt, eritque per Dei gratiam, dum ſtabit veritas,quæ & magna eſt, & præualet, veritas manet,& inualeſcit in æternum,veritas viuit, &

uit,& obtinet in ſæculum ſæculi,virginem incultam̄, horridam, ruſticitatéque plenam exiſſe in publicum culpare multi,ſat ſcio,non immeritò poterunt: ſed in tenui, ac paupere lare margaritarum multarum candor,leuórque requirendus non eſt: At de integritate,atque incorrupta eius caſtitate, qui iure illã inceſſant,extabit(credo) nullus. Hoc ipſum tibi modo noſtro hoc commentariolo de temporibus ſacris in ſuam ſanctitatem aſſertis,facile probatum iri, ſpero: Nam etſi obiectiones cunctæ, quas ad me perſcripſiſti ſuas habẽt ex ipſomet libello noſtro liquidas reſponſiones, ita vt ſuperfluus nouus hic noſter labor eſſe videatur: Tamen vt ex animo tuo omnis omnino ſcrupulus euellatur, addere nonnulla præterea minus pigebit, quibus,& tu officium, vel potius pietatem in me tuam gratiſſimam mihi accidiſſe cognoſcas: & amici tui perſentiant, quæ ſemel dicta ſunt bene, etiamſi à doctis tententur,& impetantur,paruo negotio poſſe tamen vel ab indiſertis non malè defendi, & conſtabiliri. Eſdr.3. cap.4.

Vt feſtorum, quæ per anni circulos ſolemni ritu celebrantur, ſacri dies in vera ſua ac legitima tempora reducerentur,

præſtare multo dicebamus in correctione Calendarij æquinoctium affigere in 20. die, vel in alia, quota illa fuit, vbi primitus in Eccleſia fuerat, cùm feſta celebrari cœpta ſunt, quàm in 21. menſis Martij, quò poſt annos 300. à patribus Nicæni concilij retroceſſiſſe repertũ eſt. Opinio hæc, quæ 13. vel 14. diebus ſemel demptis de vnius certi anni calculo conficiebatur, ratióque huius opinionis, quæ erat pium officium, ſalutaríſque cura feſtiuitatum colẽdarum aliquantò aptius, quàm nunc extra propria tempora obſeruentur, Tu, mi frater, ne repræhẽſibilis ſit, magnopere formidare videris: méque etiam atque etiam fraternè monitum eſſe voluiſti quicquid alij atque alij de ea ſentirent ſecius, ſed quæ ſunt frater, ea de quibus tantopere paues, quæq; dum ſacra tempora ſacroſanctè coli cupio, & laboro, in me repræhenduntur? veniant in medium obſeruationes eruditorum hominum, notationes, animaduerſiones, taxationes: quæ ſunt iſta, & quot ſunt? explicentur ſingula vt facilius replicentur.

Obiectum 1. Primum eſt, quòd viri docti doctiſſimorum, illuſtriſſimorúmque familiaritate conſpicui totam illam à me dilaudatam ſenten-

ſententiam nihili faciant,quoniam ij con- 2.
trariam omnino amplexandam eſſe contendant.

Alterum eſt, quòd in ea ſententia ſta- Obiectum 2.
tuenda comprobandáque argumētis vſus ſim nimium fragilibus, quippe quæ topica potius,dicātur eſſe, quàm demonſtratiua, méque omnino rhetorice potius per amplificationes, quàm vt res ferebat mathematicè per probationes inceſſiſsè argutentur.

Tertium, quod in me repræhendis eſt, Obiectum 3.
nullā fuiſſe cauſam, cur tantopere ſudaremus in feſtorum ſtatorum perſuadenda reductione; Nam correctis mobilibus,feſta quoque immobilia ſtatim correcta, & reducta fore in ſuos cardines, dicunt eſſe conſequens.

Quartum erat fundamentum noſtrum Obiectum 4.
nimis eſſe ruinoſum, & malè materiatum; Nam in religione Chriſtiana locorum, ac temporum momenta eſſe maxima, Nos tanquam firmum & certum aſſumebamus, Tu verò id neque certum,neque verum eſſe contendis.

Quinto loco, Capitis quarti ex Euan- Obiectum 5.
gelio D. Io. locum, contra me ſtare ex aduerſo ais,vbi Chriſtus Sammaritanæ mu-

„ lieri dicit. *Mulier crede mihi,veniet hora cùm*
Io.4. „ *neque in monte hoc,neque in Hieroſolymis ado-*
„ *rabitis patrem,* ſubdítque etiam ilico domi-
„ nus *à veris adoratoribus patrem adorandum eſ-*
„ *ſe in ſpiritu & veritate.*

Obiectum 6. Sexto loco, dicis, opinionẽ iſtam,quòd ſancti Dei melius à nobis,atque vtilius colantur vno vel loco, vel tempore quàm alio, nimis eſſe periculoſam, & redolere gentilitatem.

Obiectum 7. Septimo,ex iſta temporum accuratiore feſtorúmque dierum ſanctiore obſeruatione, nimium dari cœleſtibus influxibus.

Obiectum 8. Octauo, Calamitatum noſtri temporis immeritò cauſas in hoſce feſtiuitatum neglectarum errores à nobis fuiſſe collatas,neque tantum nos quaſi tragœdiarum excitare propterea debuiſſe.

Obiectum 9. Nonum fuit, præiudicium fieri ex iſta opinione ſacroſancto Nicæno concilio, cùm nil periculoſius ſit, hac tempeſtate præſertim, quàm ſanctiſſimorum conciliorum auctoritatem conuellere.

Obiectum 10. Decimum, quòd ſi opinio hæc præualeat, iam multarum aliarum rerum magnam in rep. iacturam fieri neceſſe ſit.

Obiectum 11. Vndecimo loco, non quidem intẽtum à te,ſed quod intendi tamen facillime potuiſſet,

tuiſſet, telũ eſt, ſat acre, & cacuminatum, de quo ſuo poſtea loco dicetur: neq; enim refugit animus, iacula etiam tibi tanquàm aduerſario ad manum ſubminiſtrare, quæ veritatis lorica facilius repellantur, quàm certo aliquo ictu in me contorqueantur.

Vltimo autem mirari te ais mirandum in modum, cur ego dum feſta fixa perſanctè ſuis temporibus obſeruanda eſſe doceo, dúmque feſtorum nutantium cur incertiora nobis tempora fuerint, diſquiro cauſas, dixerim, & tanquã rem compertiſſimam aſſeuerarim diem Dominicæ paſſionis eſſe nobis adhuc incertum, certum incarnationis, & natiuitatis, cùm vir doctus ex oppoſito affirmet paſſionis domini diem eſſe omnino certum, natiuitatis, & incarnationis minus certum. Obiectum 12.

HAEC SVNT mi frater, omnia quæ ex tuis amore, & pietate germana exundantibus litteris colligere potui, tibi ac nonnullis aliis familiaribus tuis viris doctiſſimis minus probari de tota ratione illius noſtri libelli pro anni integra reſtitutione, quibus nunc mihi ſigillatim ac diligenter reſpondere video neceſſe eſſe, ni conſcientiæ meæ fraudem ingentem à meipſo fieri velim: Nam cùm in Chriſti ſaluatoris noſtri

ſtri, virginíſque eius matris Deiparæ, ſanctorúmque Dei feſtis ritè colendis, Chriſtianæ religionis præcipuam partem conſtare omnino conſtet: ritè autē feſta coli, tunc, mihi perſuaſum habeam, cùm ſuis in locis, ſuíſque temporibus colantur: ſua verò, hoc eſt idonea loca, & tempora feſtiuitatum eſſe nō dubitem, Templa ipſa conſacrata, & dies certos dicatos, ac ſanctificatos per Eccleſiam ſanctam.

3. Cōtra ſanctam Eccleſiam peccem, impietatíſque reus turpiſſimæ meo-met iudicio forem, ſi librum in quo ſacras feſtiuitates ſuis temporibus reſtituendas omnino eſſe contendebam, non omnibus meis neruis defenderem; Nonnulláque præterea adderem, quibus ſanctæ matris Eccleſiæ veritas, eiúſque pia erga filiolos ſuos voluntas melius atque efficacius declaretur.

SED congrediamur iam. Quid ais primo loco, frater? ſuſpecta mihi opinio tua ex eo eſt, neque placere vllo pacto poteſt, quia vir plane doctus ſententiam iſtam totam libelli tui quantaquanta eſt condemnat. Quid, frater mi, auctoritatibúſne tanquam præſtigiis, an rationibus tanquam armis certandum nobis eſt? ſiquidem auctoritate

ctoritate virorum contra ſentientium,non virtute,ac robore rationum à me ſtãtium, ac pro me dimicantium res agatur, receptui canere conſultius fuerit, imò vero nil mihi niſi tẽdere manus,& miſericordiã victoris implorare reſtat: Neq; enim vnius modo docti hominis, ſed lõge plurium, & fortaſſe doctiorũ iudicio, atque ſententia me obrutum, ac planè confoſſum eſſe video:ſed quid ago? Cur iudicium etiam auctoritatis diffugio? Vnum Petrum Bargeum ſexcentis aliis, qui contra me ſtent opponere facile poſſum: nónne is humaniſſimis ad te ſcriptis litteris opinionem noſtram amplecti, atque in illa multo antea ſemper fuiſſe ſignificauit? vatem quæris? at nullus noſtra ætate largius,fœliciúſque Parnaſi fontes occluſos aperuit: oratorem poſcis? quis melioribus ſententiis, lectioribus verbis de ſuperiori loco dixit vnquam? Philoſophum, Mathematicum Hiſtoricum,vtriuſque linguæ peritum hominem requiris? ocio abutar, & litteris, ſi viri laudes,ac dotes eximias hoc loco velim perſequi: ſed fortaſſe petis aliquem, qui huiuſmodi de re ſcriptis etiam editis mecum ſenſerit, En Ioãnem tibi Salonem prodo Theologum, & verbi diuini concionato-

cionatorem egregium,is in hoc argumento magna cum laude plurimùm, annoſq; plurimos deſudauit, nũ quam ille opinionẽ noſtræ prætulit? Et dũ hæc ſcriptitarem, ecce adfertur ad me Antonij Lupicini de emendatione Calendarij opinio, nũ aliam ille oculis lynceis rationem reducendi æquinoctij proſpexit? Et tamen ſi illa ipſa doctiſſimorum hominũ phalanx qui aliter ſenſiſſe videntur, Cuſanorum, Aliacorum, Stoeflerinorum. Pighiorum illud ipſum ſpectaſſent, quod mihi ſpectari videtur eſſe neceſſariũ, noſtram ſententiam omnino arripuiſſent, cæteráſque omnes exploſiſſent, illi etenim de ſancto paſcha tantummodo corrigendo, quoniam de eo tantummodo agebatur, ſententiam ſuam protulerunt, de aliis feſtis fixis reducendis cogitationem nullam dum ſuſceperunt, quod ſi ſuſcepiſſent, & in eâdem acie nobiſcum proculdubio cõſtitiſſent: ſed quid
4. moror auctoritates hominum, Deum, frater, Deum qui nobis in terris datus eſt, opinionis noſtræ fautorem, ſi me patienter audias, facile tibi probare poſſum. Dic, frater mi, nónne quarum rerum dubij adhuc ſumus, earum in vtraque contradictionis parte opinatores merito nuncupamur? Nam

Nam quid amabo te, opinari eſt aliud quàm non ſine formidine oppoſiti de aliqua re arbitrari? At ſummus pontifex Greg. 13. in ſuo diplomate vel ſibi dubiam vel Aloyſij Lilij de ea re ancipitem opinionem Reip. Chriſtianæ principibus proponit: Num tollendi decem dies ſint, vel 13. hoc eſt, num æquinoctij verni lentitudo proritanda ſit ad 21. an ad 20. diem Martij: ſi modo hæc illa ſit, in qua æquinoctium vernum fieret, cùm Chriſtus adhuc viator in mundo eſſet: Ergo opinionem habet ſummus totius reip. Chriſtianæ antiſtes, & pater de vtroq; oppoſito, ſi de vtroq;, ergo & de altero, ergo nobiſcũ opinatur, quis dubitet? & tu dubitabis, frater Cariſſime, ne docti quantumuis vnius, vel alterius auctoritas, qui contra ſentiat, ſententiam noſtram inſulſitatis, vel falſitatis ſugillare valeat? Dices, ſi ſummus Pontifex opinatur, non tamen adhuc decernit, tu verò nimis properanter, audactérque non opinionem, ſed ſententiam profers certam, veluti de re certa. Quaſi nõ opinionem adhuc incertam ſummus Pontifex proponit vt decernatur tandem, ſententiáque firma, ſolida, ac certa ſtabiliatur aliquando.

SECVNDO loco arguis, vſum eſſe me argu- Ad obiectũ 2. reſpon.

nobis, vel decem potius? At in argumento politico, quo deſit à principibus reipublicæ Chriſtianæ viris deliberandum, ſi ſuaſoriis potius locis adhortati ſimus, quàm demonſtrationibus geometricis, vim quaſi facere meditati fuerimus, quo nomine repræhendi ſumus? Et nihilominus ſi cui ad dialecticæ lances totam mearum rationum ſummam expendere libeat, nec fragilem profectò, nec caducam, vt puto, ratiocinationem inde connectet. Hæc autem eſt huiuſmodi. Id factu opus eſt, quod melius eſt. Melius eſt, quod plura in ſe bona continet. Plura in ſe bona continet Anni correctio, quæ cum feſtis mobilibus emendat etiam immobilia, quàm quæ immobilia tantũ corrigit.

Immobilia feſta vnâ cum mobilibus emendat ea ratio dumtaxat, quæ dies 13. vel 14. demit, non autem quæ demit 10. vel 11. tantummodo.

Ergo ratio corrigendi Kalendarij quæ dies 13. vel 14. tollit, melior eſt, quàm quæ decem tantum tollit aut vndecim. Proinde opus facto illud eſt, quod nos opinamur, non verò hoc, quod tu cum viris doctis aſſertum eſſe contendis. En fragilis ratiocinatio: En caduca ſubſtructio: En pa-

triſ ſyllogiſmus: periculum facito mi frater, rimas rimare omnes, perluſtra, pertenta num quâ potis ſit rationem iſtam perfringi, ſubuerti, diſſolui.

Ad obiectũ 3. reſp.

Dices ſubeſſe vitium in aſſumpto quarto, obſtaréq; pertinaciter quod mihi abs te obiectũ erat tertio loco; Nulla enim cauſa fuit cur tantopere ſudaremus de feſtis fixis in ſuos locos reducendis, cùm mobilibus reductis, vt inquis, id quod vnico paſchali die ritè cõſtituto fit, actu tum etiam reliquas feſtiuitates, quæ dicuntur immobiles reſtitutas iri, non ſit dubitandum. Quid ais, mi frater? ſaníne ſumus? aut quomodo peruidiſti ea quæ tanta verborũ prodigitate, putabam, etiam claritate in commentario noſtro ſuper hac ipſa re fuerunt expoſita? Hic, hic totius controuerſiæ noſtræ cardo vertitur, hunc tene, hunc diligenter, accuratéque, obſecro te, immitti, circumuoluíque patiare. Si feſta paſchalia corrigantur, vna eâdémque-met opera continuò cæteras omnes feſtiuitates correctas fore ais, quærã à te, quónam de correctionis genere loquaris: neq; enim vna eſt anni, & Calendarij corrigẽdi ratio, & quamuis alij nonnulli modi à viris doctiſſimis excogitati fortaſſe ſint.

Tres

Tres tamen vel quatuor ſunt, qui potiſ- 8.
ſimùm celebrantur, quique ſimul in ſta-
dio currentes pro nobili palma decertant.
Primus modus eſt, vt æquinoctiũ vernum
conſtituatur eo loci, vbi nunc reperitur,
circa ſextum Id. Martias videlicet, quæ ra-
tio neq; exemplo caret, & ſuas habet non
contemnendas commoditates. Altera ra-
tio erat, vt æquinoctium reducatur ad 12.
Kal. April. quo in loco temporibus Nicæ-
norum patrum fuiſſe conſtat: hanc ratio-
nem, quæ tua eſt, doctiſſimis quampluri-
mis placuiſſe, & à patribus Baſilienſis con-
cilij dilaudatam fuiſſe, non me fugit. Ter-
tia ratio eſt, vt æquinoctium reducatur ad
eumdem ipſum diem, in quo vere erat,
cùm ſacra myſteria Chriſti ſaluatoris no-
ſtri propter ſalutem noſtram peracta ſunt:
nimirum ad 8. vel (vt annorum à Iul. Cæ-
ſare iam elapſorum, & calculorũ arithme-
ticorum iufallibilis ratio docet) ad 9. Kal.
Aprilis hanc nos ſolam probamus, ſo-
lamq; veram, rectam, germanam eſſe ra-
tionem arbitramur, hanc ſolam in ſua ſim-
plicitate, ac puritate non multis argu-
mentis concinnatam, non multis aduoca-
tis ſtipatam, ſed vnica patrona cõtentam,
PIETATE veneramur. Pietas mi frater,

pietas, Chriſtianæq́; religionis ſyncerus affectus permouerunt me, vt hanc ſolam deoſcularer, zelus domus Dei, plus certè frater exedit oſſa piorũ hominum, quàm tacêre vel diſſimulare quicquam poſſint. Quartam rationem elegantiſſimam, numeríſque omnibus abſolutiſſimam excogitauit nuperrimè ingenioſſimus, & in mathematicis ſtudiis cõſummatiſſimus D. Io. Baptiſta Benedictus, qui æquinoctiũ vernum retorquet ad vſque Kal. Martias, ſed quia Chriſtiani propter Chriſti Dei noſtri ſanctorúmq; Dei feſtiuitates tantummodo in ſua tempora reducẽdas, hanc emendandi Kalendarij curam ſuſcepimus, exquiſitiores aſtrorum calculos in vſibus ciuilibus potius, quàm in ritibus Eccleſiaſticis adhibẽdos eſſe cenſebamus, præſertim cùm ſubtilis iſta ratio etſi reducat feſta fixa in ſuos locos, abducit tamen à ſuis vſitatis nomenclaturis; Nos autem & rem tenendam, & nomina non immutanda eſſe iudicabamus. Ratiocinemur nunc ſimul vnâ, frater, putáſne quauis harum inita ratione corrigendi Kalendarij, correctos ſtatim fore ſtatos dies feſtos? erras planè, erras, ſi id putas: Nam ſi primam rationem ſequamur, nullus non videt, tantumdem

ab

abſuturos tunc feſtos dies fixos à veriſſimis ſuis locis quantum nunc citra vllam correctionem abeſſe illos cernimus. Si ſecundum viam quæ tua erat, amicíque tui, tenere malimus, quis non cognoſcat, ſtatos dies feſtos adduci quidem ſic poſſe, reduci tamen non poſſe? Nam aliquot certe paraſangis minus aberrabunt, in orbita tamen ſua trita, ac recta non propterea ſtabunt. Huius rei demonſtratio vel idiotis in promptu eſt: accipe tamen. Dominicæ natiuitatis diem ad 8. Kal. Ianuar. accidiſſe in confeſſo eſt, in eo ſolſtitium hyemale, vel pridie ſaltim, tunc temporis fuiſſe nullus eſt qui dubitet. Ergo natus eſt Ieſus dominus noſter in ipſo brumæ die. Brumalis dies nunc incidit circa Beatæ Luciæ dicatam feſtiuitatem, quę eſt ad 18. Kal. Ianuar. Ergo 13. Decembris natus eſt Chriſtus dominus: ſed eius natiuitatem nos celebramus 25. Decembris, ergo ſerius quàm par ſit. Reducatur nunc æquinoctium ad 21. Martij, vt tu vis, ſtatim & bruma ad 21. Decembris reducta erit: at nos in 25. Decembris ſemper diem natalem dominicũ celebramus, ergo ſemper per tres minimùm dies ſerius quàm par ſit, natiuitatẽ domini celebraremus. Nónne ſat planum hinc

tibi eſſe poteſt, quomodo per tuam corrigendi rationem aliquãtò quidem propius feſta fixa ad veritatem accederent, à qua modo nimis longe abſunt: ſed veritatem, quam exoptamus, & collimamus nullo modo attingent.

9. At contra ſi æquinoctium reducatur ad 25.diem Martij, quæ tertia corrigendi ratio fuit, quo in loco primitiuã Eccleſiam obſeruaſſe illud etiam conſtat, quis neget, optimè atque appoſitiſſimè conſequens eſſe, vt feſtis mobilibus in ordinem redactis, feſta etiam immobilia ſubitò in ſuos gradus ab Eccleſia primitiua conſtitutos, reducta conſpiciamus. Hinc liquidò patere poteſt, mi frater, & aſſumptionem ſuperioris noſtrę ratiocinationis, in quam dicebamus, immobilia feſta, vnâ cum mobilibus emendari dumtaxat 13. vel 14. diebus demptis, non autem decem, vel vndecim, eſſe veriſſimam, & quod tu tertio loco in me repræhendebas eſſe omnino falſiſſimum: videlicet non eſſe cur multùm laboraremus in conſtituendis feſtis immobilibus, quandoquidem reductis mobilibus, immobilia ſemper, & extemplo reducta forent.

Sed in arenam iam theatri longe nobilioris

bilioris, ſpectabilioríſque deſcendamus.

Fundamentum vniuerſæ diſputationis noſtræ dicis non eſſe ſolidum, ſed fatiſcere. Nam locorum, ac temporum in religione momēta eſſe maxima (quod erat quaſi noſtrum axioma) non eſt omnino verum: exploremus circumquâque, diſpiciamus num quâ ſolum ſit fugiens, vel dehiſcens. Quid ais, frater, locorum ac temporum in religione momenta eſſe maxima, aíſne, an negas? nego, inquis, planè: ſed te percontor adhuc, ſi maxima non ſunt, nullàne ſunt prorſus, an aliqua? reſpondebis, puto aliquantula quidem ſunt, ſed non tamē tanta, quanta tu adſtruere videris.

Vide, frater mi, quid conceſſeris, nam 10.
in religione nil poteſt eſſe tam exiguum, quod ſimul etiam non ſit longe maximum, quæ enim ad religionem ſpectant, ea ad ſalutem animæ ſine dubio ſpectant: ſalutem animæ in bono infinito conſequendo quis neget conſiſtere? Et infiniti boni conſequendi adiumenta quomodo non & ipſa infinitatis rationem in ſe habere cenſeantur? Hinc relucet, frater mi, ſi loca vel tempora minimum quid in religione faciant, maximè quoque, ac propè infinitè facere in animis noſtris: cùm in-

finitæ rei minimum, nobis non eſſe maximum omnino non poſſit. Non hoc fortaſſe ſentis, imò contra locorum, ac temporum obſeruationes ad religionem nihil, ad ſuperſtitionem plurimum pertinere, contendis: ah frater mi, ecquid ex te audio? quibuscum mihi res eſt modo? Tu qui ſoles hæreticos inſectari, quomodo in hæreticorum caſtra repis? quid aliud ructant libentius Lutherani, quid aliud
11. concrepant immanius Huganotti? dogmate hoc cõſtituto, nónne præcipui ritus Eccleſiaſtici continuò concidunt? nónne omnes Apoſtolica traditione ſanctæ, perutiles, perquámque neceſſariæ cæremoniæ nobis relictę ſtátim explodũtur? ſi loca nil faciunt ad religionẽ, cur ſacrarũ ędium in Eccleſia Dei ad quas oratũ cõuenimus tã accurata diſtinctio, obſeruatio, veneratio? ſi loca nil cõferunt omnino ad religionẽ, quorſum baſilicarũ dedicationes, conſecrationes, inũctiones, benedictiones? cur in primitiua eccleſia, imò ab ipſiſmet Apoſtolis, atque adeo Apoſtolorũ manibus per omnẽ Aſiam, per Syriam, per Æthiopiam, per Indię ciuitates, templa, & quidem maxima conſtructa fuiſſe legimus? ſi loca nil promouent religionem, cur in baſilicis, in ſemniis,

De conſ. diſt. 22. ſacroſan.

Philo. Hebr.
Niceph. lib. 2. ca. 39. & 40.
Euſ. lib. 20. c. 17. ecc. hiſt.

ſemniis,in monaſteriis ſanctificandis, ab omníq; prophano vſu ſecernendis tã ſedulos,támq; religioſos viros Apoſtolicos extitiſſe memoriæ proditum eſt? Si loca nil habent cum religione commune, cur tabernaculi per Moyſen, & templi Hieroſolymitani per Salomonẽ celeberrima conſtructio, tam multis in ſacra pagina verbis decoratur, & explicatur? Et ſi veteris legis vmbras iam præteritas, & ſolis veritate illuſtratas cauſeris, cur Petrum, & Ioannem in templum etiam poſt templi ſciſſum velũ aſcendiſſe litteris ſacris edocemur? imò cur per annos ſingulos ſolemnitatem dedicationis Eccleſiæ celebrat Eccleſia ſancta, & hoc exemplo domini ac præceptoris ſui, qui ad Encænia, quæ Hieroſolymis fiebant, quotannis de more veniebat, & ſi loca nil promouent in religione, cur noſtra corpora nõ niſi in tẽplis, aut in cæmiteriis, quæ & ipſa conſacrantur, inhumari volumus? vel ſi locorum nulla debet eſſe nobis aut cura, aut diſcretio, tremendum illud Chriſtianorum ſacrificiũ cur alibi quàm in æde domino ſacrata peragi per ſanctorum patrum canones nõ licet? Ritus eccleſiaſtici nónne certiſſimã, ampliſſimámque fidem piæ menti facere

Exo. 26. 3. Reg. c. 6. Act. 3.

Ioan. 10. de conſ. diſt. 1. c. ſolemn.

Grat. de conſ. l. 1. c. omnis.

conſuerunt? Sed inſtemus adhuc, ſi loca non faciunt ad religionem, cur eccleſia
In colle. dedic. Eccl. Chriſti quotannis modo deuotè repetit in anniuerſariis Eccleſiarum, quæ olim filius
3.Reg. c.5. Dei, Angelus ipſe Dei, ac ſolus verè Deus ad Regem Salomonẽ dicebat. *Elegi locum*
» *iſtum in domo ſacrificij*? Cur eadem ſancta Eccleſia, honorificè dudum ſepulta ſynagoga, libenter ac piè cantat in perſona
» ſponſi ſui Chriſti, *Oculi mei erunt aperti &*
» *aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in lo-*
» *co iſto orauerit?* Cur ſuppliciter, ac ſanctè
» precatur dilecta Chriſti, *vt quiſquis hoc tem-*
» *plum beneficia petiturus ingreditur, cuncta ſe*
» *impetraſſe lætetur?* Ecquam aliam auſcultemus libentius, auidius, pacatius vocem
Matt. 21. quàm ſponſæ Chriſti Domini noſtri? Sed
Luc. 19. Mar. 11. & ſponſum ipſum audiamus, manufactũ
Ioan. 2. templum, domum eſſe Patris, & domum orationis vocari prædicabat: Si templa Dei domus Dei ſunt, ergo facilius, honeſtius, cõmodius, vſitatius in templo Deum reperimus quàm alibi: Si templa Dei, domus orationis vocanda ſunt: ergo orationes noſtræ melius, citius, promptius, procliuius exaudiũtur in templo quàm alibi. Sed audi me, frater, Cur Chriſtus Deus noſter puer adhuc ætate, verùm ſapientia,

quam

quam de ſinu Patris ab æterno ducit, antiquiſſimus ſemper dierum, Cur, inquam, Ieſus parẽtibus illũ anxiè, ac dolenter quęrentibus, & in tẽplo Dei tandẽ reperientibus, dixit, *quid me quærebatis? An neſciebatis* « *quia in his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe?* « nónne his verbis hoc ipſum, quod modo tractamus, voluit eſſe nobis indicatum, inculcatum, enucleatum? ô Chriſtiane, ô vir pie, vis tu Chriſtum, vis tu Deum inuenire? aſcende in templum, templa Dei frequentes, ibi illum reperies: Collige nunc, frater, ſi templum locus eſt in quo Deum tanquam in ſua regia conuenientius, honorificentiúſque adeas, ſi templum locus eſt, de quo velut orationibus propriè dicato, preces noſtræ celerius in cœlos aſcendunt, Deíque patris viſcera miſericordiæ altius penetrant, ſi templum locus eſt in quo Chriſtus habitare ſe oportere caris parẽtibus affirmauit, quomodo loca quicquam facere ad religionem pernegas? Sed quid moror? nónne vbi Chriſtiani dominum præſentem in corporali præſentia tenemus, ibi præſentiora quoque miſericordiæ ſuæ in nos præſidia obtenturos eſſe ſperamus? Chriſtum Dominum vbínam præſentẽ, & in corporali ſuſtantia, quamuis non

Dan. 7.
Luc. 2.

uis non corporali modo, noſtras preces audientem habemus præterquam in ſacroſancta Euchariſtia? Euchariſtia vbi cõſacratur, aſſeruatur, adoratur de more præterquam in templis, locis deo ſacratis, & dedicatis? Reliquiæ martyrum, crux ipſa Chriſti, ſalus noſtra, imagines ſanctorum, aqua benedicta, noſtræ ſalutis monumẽta, & adiumẽta vbi præterquã in templis aptiſſimè collocantur? quomodo ergò tẽpla nil facere ad religionem aſſeris? Sed pergamus. Si ad ſepulchra martyrum, ſi ad loca ſanctorum, ſanctarúmque inſignita miraculis laudabili ſemper deuotione populus Chriſtianus accurrit, ſi nouum non eſt, ſed iam inde à multis ſæculis, vt erudítiſſimi ac ſanctiſſimi viri D. Staniſlai Cardinalis patrocinio ac verbis vtar, in orbe Chriſtiano receptum eſt, quod propter admirabiles Dei operationes vnus locus alio ſanctior habeatur, & à piis hominibus magis frequentetur, quomodo loca in religione non maxima momẽta obtinent? Sed quid plura? Cella vinaria Dei, imò penus ditiſſima, & copioſiſſima deitatis templum eſt, hic exultare, hic lætari meritò poſſumus in Domino, memores vberum diuinorum: huc ſua bona Deus recondit omnia in vſus

Reuerend. D. Oſius Card. in confeſſ. Petri. c. 90.

Cantic. 1. c.

ſus

ſus noſtros: Inde promere nos affatim iuſſit, quibus in cœleſti menſa ſatiemur, & ſaginemur: inſtrumenta quibus hauriamus & depromamus cœleſte nectar, immortalémque ambroſiam orationes noſtras eſſe voluit Deus, orationes in templis Deo fundimus acceptiores quàm ſub diuo, & dubitabimus adhuc, num loca multùm faciant ad religionem?

12. Altius adhuc Eſaias in ſpiritu Deum vidit ſedentem ſupra ſolium excelſum, & eleuatum, & ea quæ ſub ipſo erant replebant templum. Quæ ſunt iſta, frater, quæ ſub Deo eſſent, quibúſque templum repleretur? Veritas Hebraica habet שׁוּלָי. quas eſſe fimbrias, & ornamenta veſtimentorum volunt. Ergo propheta Deum vidit in cœlo, quo nil eſt excelſius, magíſq; eleuatum, ſed fimbriis veſtimentorum vidit repleri totum templum, quod eſt in terris: veſtimentum Dei maieſtas & gloria Dei eſt, qua mundus, quaſi proprium Dei domicilium circumquaque ornatur, & illuſtratur, nam quæ in noſtram tranſlationem de 70. interpretum verſione irrepſiſſe videntur, ſuam habent non ſine myſterio intelligentiam, *& plena erat domus à maieſtate eius.* Sed templa quæ in terris ſunt, ad quæ

Eſa. c. 6.

ad quæ adorandi,laudandi,ac ſupplicandi Dei cauſa conuenimus,ea plena ſunt fimbriis,hoc eſt fauoribus,gratiis, auxiliis viſceribus denique miſericordiæ ſuæ: nam etſi Deus in altiſſimis habitet,plenáque ſit omnis terra maieſtate eius, velítque adorari,& benedici in omni loco dominationis ſuæ, tamen peculiari quodammodo voluit in templis à nobis adorari,& in templis ſuæ beneficentiæ,ac munificentiæ dona nobis elargiri, quaſi ſe ad largiendum hominibus,in templis oratus adſtrinxerit. Nec mirum nobis ſit per fimbrias veſtimentorum Dei, miſericordias Dei nobis inſinuari,nam vti veſtimentorum ornatus fimbriæ ſunt, ita diuinam maieſtatem nil exornat magis quàm ſumma bonitas,ſuauitas, ac manſuetudo eius:verè enim dictum eſt,miſericordia Domini, ſuper omnia opera eius:Hanc fimbriam ſi retro accedentes, hoc eſt,admiſſorum noſtrorum

Matt 9. anteactæque vitæ in peccatis memores
Mar.6. attigerimus, mirum vt ſani, ac valentes
Luc.8. actu tum ſimus.Si itaque in templis miſericordias domini potiſſimùm attingimus, ſi in templis fontem ſanguinis noſtri, qui vetus homo noſter eſt, exſiccamus: ſi in templis Eua noſtra,quæ ſanguinis fluxum

patie

patiebatur ab ineunte ætate,& non ſolum annis duodecim, apprime ſanatur, adhuc hærebimus? adhuc titubabimus? adhuc in dubio erimus, num locorum ſacrorum in religione, ac pietate momenta ſint maxima? Inſtemus acrius & verborũ mucrone quæ in lingua ſancta ſanctitatis multùm habere nullus vnquã dubitauit, perrumpamus aduerſariorum cuneos. Templum Dei ſanctum quod in ciuitate ſancta extructum, & perſanctè ſemper excultũ fuit, quo vocabatur nomine à viris ſanctis? ההיכל, vt puto, ſed hæc vox quid aliud exprimit in ſua radice quàm id quod potentia præditum eſt, multúmque præualet? perinde ac ſi templum Dei, arx eſſet Dei in qua munitiones, opes, facultatéſq; omnes regiæ collocarentur: neque ſit qui dicat, ſpectare hæc ad vetuſtatem legis, vetera iam tranſiiſſe, noua nunc facta eſſe omnia, nam quæcunque ſcripta ſunt ad noſtram quoque doctrinam ſcripta ſunt: vnde nobis dubium nullũ eſſe poſſit, ſi templa ſint quaſi arces Dei, vnde nobis in neceſſitatibus noſtris auxilia diuina celerius abundantiúſque ſubminiſtrentur, templa & loca ſacra permultum omnino conducere ad religionem. Dicas, At D. Paulus vult

[Margin notes: 13. — Iere. 7. — 2. Cor. 5 — Rom. 15.]

1. ad Ti. c.20. vult viros orare in omni loco: ſed quomo-
do intellexerunt ſancti dictum Apoſtoli?
14. quam interpretationem D. Baſilius huic
loco aptauit? illud, in omni loco, non com-
D.Baſil. præhēdere eos locos, qui humanis vſibus,
in 2. ſer. rebúſque immundis & profanis deputati
de Bapt. c.8. ſunt. Sed declarat, atque extendit oratio-
nes noſtras ab arcto Hieroſolymæ ambitu
in omnem totius orbis locum: Ac ſanè ita
eſt quòd in omni loco Deum adorare fas
eſt, qui non locum: ſed mentem requirit
feruidā, etiam in cęno, etiā & in ſterquili-
Iob.2. nio, vt, de Iob & de Hieremia legimus. Nā
Hier. 38. quis neget Ionam à ventre ceti, latronem
Mat.12. in cruce, Ezechiam in lectulo, Paulum in
Mat. 27. Mar.15. carcere Deum deprecatos, & ab eo exau-
Luc.23. ditos fuiſſe, ſed ſi illam ipſam mentem fer-
3. Reg.1. Act. c.7. uidam ad locum ſanctum, ad congrega-
tionem ſanctam afferamus, certum eſt &
indubitatum ex tali mente profectas præ-
ces multo tum Deo gratiores, & ad quod-
uis impetrandum futuras efficaciores: Ne-
que illud negamus templa Dei eſſe corda
hominum viua, & vera, in his libenter ha-
bitare illum cuius meræ deliciæ ſunt eſſe
Prou.8. cum filiis hominum: Sed non prius tamen
fiunt templa Chriſti corda hominū, quàm
Chriſti ſumma in nos beneficia rememo-
rarint

rarint: At vbínam mirifica Chriſti pro nobis paſſi beneficia rememoremus melius quàm vbi Chriſtum in vera ſua corporali ſubſtantia pręſentem habemus? hoc nónne in ſacroſanctis ſacrificiis? ſacrificia nónne ad altaria? altaria nónne in templis? Ergo in templis corda fidelium cum primis Chriſti templa fiunt. Et meritò, ni falſus ſim, nam ſacrorum locorũ ſanctificationes, conſecrationes afferre multùm ſanctitatis, negare non poſſumus, ſi Catholici eſſe non recuſamus: neque fuit vllus vſpiã tam perfrictæ frontis, puto, qui olim extitiſſe loca negaret, quæ ob diuinitatem peculiariter eſſent veneranda, & quaſi tremenda, tanquam domus eſſent Dei, & porta cœli, & in quibus etiam adeundis ſoluere calciamenta iuſſi forent ſanctiſſimi homines, quoniã terra illa ſancta eſſet: Et quid ſibi vult Propheta conſiliorum diuinorum cum primis particeps, quando dixit, *adorabitis in loco vbi ſteterũt pedes eius*? aut quis tantæ contumaciæ ſit, ac peruicaciæ, qui etiam in tempore gratiæ neget loca eſſe in quibus Deus benedictus per merita ſanctorum ſuorum largiora, & profuſiora beneficia exhibeat mortalibus, cum peculiares locos peculiaribus patrandis

Gen. 25. Exo. 3.

Pſal. 131.

miraculis deſtinatos eſſe norimus: Non vnus hic liber, ſed plura ac vaſta mihi volumina conficienda forent, ſi diuerſa miracula, quæ in diuerſis locis per Dei benignitatem, ipſorum-met locorum ſanctitate, ſpecialique fauore facta olim fuerint, & nunc quoque interdum fiant, explicare velim, ſed vnico tantùm loco, & loci miraculo contentus ero, quo omnes intelligāt, niſi qui nolunt intelligere vt bene agant,
Pſal. 35. ſemper in Eccleſia Chriſtiana peculiarem ſanctitatem, peculiaribus locis attributam
D. Aug. in epiſt. 137. fuiſſe. D. Auguſtinus, quòd Bonifacius quidam grauiſſimis de criminibus accuſaretur, quæ humano conſilio cōſtare non poterant, ad beati Fœlicis Nolenſis ſepulchrum in Campaniā ex Affrica vſque venire iuſſit reum cum ſuo accuſatore, vt terribilibus operibus Dei eorum conſcientiæ aperirentur. Obiicit contra ſe Auguſtinus, vbique Deus, omnia replet Deus, in occulto exaudit Deus, in occulto iuſtificat Deus. Et obiectioni reſpondet ſanctiſſimus doctor, & Eccleſiæ ſanctæ lumen. Ad iſta quæ viſibiliter nota ſunt, quis poteſt conſilium Dei perſcrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, & non in omnibus? Num deſideras frater, diuini

huius

huius viri hac ipſa de re teſtimonium adhuc apertius, & luculentius? Accipe, quæ lib. 6. ſuarum confeſſionum diſertiſſimis verbis ait. Qui ſatis nobis expoſuit voluntatem Dei in probatiſſimis miraculis ab eo viſis, tam circa ſanctorum corporum venerationem, quàm erga particulares gratias à domino per merita ſanctorum in particularibus locis expectandis. Numquid dici poterat enucleatius? Si D. Auguſtino auctore ac magiſtro particulares gratiæ in particularibus locis expectandæ nobis ſunt à domino, quis neget in religione locorum ſacrorum vim eſſe maximam? Sed locis confirmatis, iam ad tempora, quod proprium noſtræ diſputationis erat, deueniamus.

D. Aug. in 6. cõfeſſ.

15. In alteram iam fundamenti noſtri partem, cuius diſceſſu terrebaris, frater, deſcendamus, videamúſque num in ſalo an in ſolo conſiſtat: Ac ſanè locorum ſacrorum iam firmitatem, & ſoliditatem experti, non erat cur ſacrorum temporum infirmitatem debilitatémque metueremus; nam ſicut hiis de religione ſublatis, vel ſubmotis, etiam loca titubare, neceſſe erat, ita iſtis conſolidatis, quod hactenus affabre factum eſſe puto, ſacra quoque

tempora firmata & quaſi ferruminata videri poterant: tamen ne qua in re ſuſpicionibus tuis ex amore manantibus deeſſe videar, addam hæc pauca. Sacrorum temporum magnas eſſe vires, ac ſemper in Eccleſia temporibus ſacris ad promouēdam pietatem multum fuiſſe attributum, documento nobis eſſe poteſt, primum inſignis illa (pro qua diſputationis huiuſce laborem ſuſcepimus à principio) de tempore celebrandi feſti paſchalis inter Orientis & Occidentis Eccleſias concertatio, quæ vſque eò etiam progreſſa eſt, vt qui tunc fuit Romanus Pontifex D. Victor Aſianas eccleſias in die Paſchali diſſidentes ab eccleſia Romana, præciderit à communione: & quamuis non deeſſent viri graues quibus hæc tanta Romani pontificis vehementia non probaretur, quòd non eſſe tanti hanc ſolemnitatis celebrandæ diſcrepantiam arbitrarentur, vt illius cauſa præcidendum ab eccleſia quemquam exiſtimarent, tamen Leo Magnus, pontifex maximus in feſtis celebrandis, non tenere veritatem maximi pendendum eſſe, ac proinde modis omnibus vindicandum eſſe iudicauit. Deinde ab ipſis ferè incunabulis eccleſiæ natalitia martyrum eo

Euſeb. l. 5. c. 25. hiſt. Niceph. l. 4. c 36.

Leo in epiſt. 62

ipſo die, voluētibus annis, celebrare cœpta quo ſancti Dei pro Chriſti nomine ſanguinem ſuum fuderunt, & ad cœleſtem vitam euolauerunt, ſat nobis indicare apertè poſſunt, eorum hominum intuitu qui ſancti martyrium pio animo venerarentur diem illum natalem ſemper in ſe ſanctitatis, & venerationis habuiſſe plurimum. Nam ſi dicas, memorias quidem ſanctorum recolere, pium eſſe, & ad imitanda illorum veſtigia nobis etiam proficuum: ſed plus id vno die curare, quàm alio, nihil referre. Quæram à te: primùm, cur ſolemnitates ſanctorum natalitia vocari voluit pia, ac prudens mater noſtra, eccleſia ſancta, præterquam quòd mortem obierunt ſancti in eo die, qui principium eſſet iis vitæ immortalis? Deinde percunctabor, Cur diem huiuſce natali certum voluit potius nobis eſſe in veneratione, & cultu quàm alium quemcunque? Nec aliud reſpondere melius potes, video, quàm quòd ſacro cruore ſacratus, & ſanctificatus nobis ille dies perpetuò fuit. Num putes, frater, inanem eccleſiæ diligentiam, & ſedulitatem in recenſendis nobis ad amuſſim diebus natalibus ſanctorum extitiſſe? an potius prudentiam, & beneficentiam, Gloſſ. 33. q. 4. cap. non licet.

piæ matris admireris quæ diuino aſpirante numine, eas nobis dies præciſè feriandos in honorem alicuius ſancti præſcripſerint, in quibus animi noſtri magis ac magis per veſtigia, ac merita ſanctorum ad omnipotentis Dei amorem, ac laudes eueherentur? Cur inter ſanctiores preces matutinas, cur ad finem horæ precariæ primæ, mater eccleſia tam ſedula
16. fuit in menſibus ac diebus euoluendis & enucleandis martyriorum, in annis verò redigendis ad numerum omnino ſecura? nimirum haud hiſtoriam rerum geſtarum tantùm curabat eccleſia quantùm multò diligentius diem ſacrum ſpectabat, quomodo verè, atque exquiſitè ſanctificantur! vſu etiam venit interdum, vt de aliquo ſancto martyre nos ſimul doceat; & tempus quando martyrij palmam accepit; & locum vbi ſepultus fuit, ſicuti de Cornelio Romano pontifice in eius feſti celebratione legimus, cui ſacrum caput abciſſum 8. kalend. Octobr. fuit, & eius corpus humatum in arenaria prædij ſui propè cæmiterium Caliſti: quorſum tam accurata, tam anxia, tam ſollicita diligentia? num ad memoriam rei geſtæ tantùm? at in templo, inter laudes diuinas, inter ſacra ſolemnia,

Lect. Canon. Clemens 7. die 16.

inter precationum noſtrarum faces, maioris myſterij quippiam verſabat animo, ni falor, ſponſa Chriſti. In locis ſanctorum martyrum cruore delibutis delubra extructa fuiſſe plurima, & auguſtiſſima memoriæ proditum eſt: cur hoc? nimirũ ſanguis pro nomine Chriſti fuſus ſacratiorem effecit locũ, & venerabiliorem: ſi locus ſacratior propterea fit, quidni & tempus?

17. Cùm præſertim tempus ad diuina aliquanto quã locus propiùs accedere videatur, quòd vniuerſaliùs ſit; quòd in eadem ſpecie perſeueret; quòd à corpore longè nobiliore, & præſtantiore dimanet. Neque enim cùm Theologi vel inter ſe, vel aduerſus Canoniſtas doctiſſimè diſputarit de circunſtantia temporis, num ſit illa neceſſariò in ſalutari priuata exhomologeſi nobis explicanda, perſuadere mihi vnquam potui, circunſtantiam ſacri loci peccatum ita deprimere, vt in aliam ſpeciem traducat, ac proinde neceſſariò confitendam eſſe, circunſtantiam autem temporis tantum virium, at deformit atis non habere tantùmdem. Nónne vtrobique, actu vituperabili, ac damnabili præcedente ſuppoſito, circumſtantia loci pariter, atque temporis actum illum amplius adhuc & vitu-

perat, & condemnat? Nonne vtrobique eadem inobedientia, idem contemptus, eadem indecentia cernitur? Cernitur inquam ab oculis diuinis:quos nil poteſt fallere: nam quòd à noſtris cæcutientibus minus cernatur turpitudo commiſſa contra decentiam temporis, quàm loci, ſanè nihil moror, quod fortaſſe minus animaduerſum, doctiſſimum virum Syluestrum impulit vt ab Archiepiſcopo meo ſanctiſſimo homine diſcederet: ſed quæſtione omiſſa quæ dudum,& plurimùm diſcuſſa, nondum tamen explicata ſatis fuit, ſi circumſtãtia temporis omnium iudicio permultum aggrauat peccatum, ſi ſæpe etiã quod nullus dubitabit, mutat peccati ſpeciem, ſi conſultiſſimum ſit, quod cuncti fatentur, licet multi de neceſſitate contra ſentiant,circumſtantiam temporis confiteri,quomodo tempus non momenti plurimum habebit in religione? Sed quid opus eſt docere rationibus,quod monſtratur ſenſibus?

18. Excutiat vnuſquiſque ſeipſum,& liberè dicat num eodem charitatis,& venerationis affectu celebret feſtum alicuius diuini myſterij, vel natalis beati martyris cum ipſo die ſolemnia eius agũtur, quo de mo-

re

re,atque inſtituto Eccleſiæ agi ſolita ſunt atque cum aliqua neceſſitate, ſiue opportunitate transferuntur? hic de ſenſu meo nolim affirmare quicquam,ſed teſtem adhibeo omni exceptione maiorē Illuſtriſſimum doctiſſimúmque virum ſynceręꝑ pietatis cultorem ſuperſtitioníſque omnis deteſtatorem egregium, Iulianum Medicen epiſcopum Albyenſem, is mihi perſanctè affirmauit longè plus & mente & ſenſibus affici ad recolēda,venerandáq; incarnationis domini noſtri beneficia cùm feſtū angelicæ annunciationis B. virginis Mariæ celebratur ſuo conſueto tempore, quàm vbi trāsfertur: Et nos adhuc in ambiguo erimus, num tēpora quicquam faciant, ad religionem? Quid,frater,quid ſi feſtum hoc admirationis,deuotionis,diuinæq; miſerationis pleniſſimum ſuo vero, ac proprio tempore, & non conſueto tantum excolatur? quos ignes, quas faces & amoris, & gratitudinis, & pietatis,& ſanctitatis in animis piorum excitaret? Dices, nónne apud Chriſtianos omnes dies æqua 19.
les ſunt? Sanè æquales, frater, ſi ad ſuperſtitioſos ethnicorū dies referātur, non dubito, neq; enim agnoſcunt Chriſtiani dies Ægyptiacos, fauſtos,vel infauſtos, neque

enim infatuati mathematicorum deliriis operũ noſtrorum initia captamus ominibus horarũ, dierúmve, longũ vale iam diximus ἑβδόμη ἱεροῦ ἡμέρα, Nec illud tenemus πέμπτας δ' ἐξαλέασθαι ἐπεὶ χαλεπαίτε, καὶ αἰναί: Sed haudquaquam tamen omnes dies ſunt æquales ſi religionem, diuinóſque cultus ſpectemus:debuiſſent quidem homines in meditatione beneficiorũ Dei aſſidue inhærere, laudare diuinam bonitatem ſemper, orare inceſſanter,& nunquam deficere: Attamen homines ſumus, & dum in mortali carne viuimus, aliis diſtricti curis & ſolicitudinibus Deo ſemper vacare non
20. quimus: quid fecit,aut quomodo conſultum eſſe voluit filiolis ſuis miſericors pater? Dies certos Eccleſiæ ſuæ diſtribuendos nobis conceſſit,in quibus ab aliis prophanis negotiis feriaremur, & res diuinas tantùm, quibus expectatæ beatitudinis dulcedinem hic deguſtamus, toto animo meditaremur:in his diebus,& certis etiam horis dierum, voluit Deus gratiæ ſuæ latices vberiores in nos defluere, & pectora noſtra cœleſti rore largius,ac lætius irrigari:Ni hæc ita ſint, & ni tempora in religione aliquanti pendantur, quomodo ſacra-
21. tiora aduentus,& quadrageſimæ tempora

in

in anno habeantur, & quomodo ad abſtinentiam & pœnitentiam agendam ſextæ feriæ in ſingulis hebdomadibus repetantur? Ni hæc ita ſint, & ni tempora aliquid ad pietatem efficiant, cur quatuor temporum interualla ad ieiunia ſanctius peragenda obſeruãtur? Cur ordines ſacri non conferuntur niſi ſtatutis diebus? Cur ſanctum chriſma non conficitur niſi certo ſolemni die? Cur nuptiis celebrandis tempora aliqua occluduntur, aliqua recluduntur? Cur ſingulæ cæremoniæ Eccleſiaſticæ ſuos habent peculiares dies? Sed cur me verſo? ſi tempora nil afferunt ad religionem, cur horarum Canonicarum tam ſeuera diſtinctio, atque obſeruatio? Cur non rectè penſum laudis pependiſſe dicantur, qui veſperi ſoluant, quæ præces hora tertia fundendæ erant? ſi tempora nil influũt ad pietatẽ, cur ſacris canonibus cauetur, ſacroſanctum, ac tremendum ſacrificium Chriſtianorum hora tertia diei peragendum eſſe potiſſimum? Cur ſacris litteris, quarum ne apex quidem vllus fruſtra eſt, D. Petrum & Ioannem ad horam orationis nonam in templum aſcendiſſe, edocemur? Cornelio Centurioni homini gentili cur domi ſuæ non niſi ad horam nonam

De cõſe. diſt.3.ca. Ieiun. & c.litteris.

Act.3.

Act.10.

oranti

oranti, Angelum domini aſtitiſſe legimus? fortuitóne facta hæc omnia, & ſcripta nobis temere eſſe putabimus, vel potius blaſphemabimus? Myſterioſa hęc omnino eſſe nullus non impius vel inſanus negabit: Neque perſuadere mihi vllo pacto poſ-
22. ſum viros ſanctos, Chriſtianæ religionis prima columina ſolitos fuiſſe hora nona in templum aſcendere, vt Iudæorum ritu orarẽt ad huiuſmodi promeridianum tem pus; Iudaicas cæremonias iam norãt fuiſſe abolitas, ac planè extinctas, etſi nondum prohibitas palàm: Aliud longè maius, potentiúſque Spiritusſancto repletos homines ad orandum hora nona impellebat, crede frater mi, turgebant illa nimirũ hora ſanctiſſimorum virorum animi caritate, ac pietate, qui diuini amoris, atq; ardoris fœtus edere ſtatim geſtiebant: Quis nõ, hora nona ſolutũ fuiſſe morte domini crudeliſſima, pretiũ redẽptionis noſtræ recogitãs, ad agendas gratias pro tãto atq; immerito beneficio, excitetur, & inflammetur? etſi mens noſtra ingemiſcit, & parturit pœnitentię, vel pietatis fructus plus vno tẽpore, quàm alio, adhuc tẽpora multùm conducere ad pietatem negabimus? Sed dices.
Gal. 4. Ergo, ſic obſeruamus & dies, & menſes, &

tempora

tempora & annos,id quod Apoſtolus Galatis apertè prohibuit: De hoc paulopoſt ſuo loco,nũc quod ſupereſt agamus. Omnia tempus habent,& ſuis ſpatiis tranſeunt 23.
vniuerſa ſub cœlo, & non erunt ſua propria tempora in Eccleſia? Tempus eſt naſcendi, & tempus moriendi, & non erunt ſua tempora, quibus moriamur mundo, & naſcamur Deo? Cuncta fecit Deus bona in tempore ſuo, & non fecerit tempus, in quo colatur ipſa bonitas in tempore ſuo? In mundum venit Dei filius in tempore ſuo, neque enim prius quàm vbi venit plenitudo temporis,per mundum prædicare cœpit in tempore ſuo:quia tempus requirendi dominum cùm ipſe veniet,qui docebit vos iuſtitiam à mundo diſceſſit dominus in tempore ſuo, quia Iudæis occidere illum aliquando volentibus, dixit, Tempus meum nondum venit; Clarificatus eſt dominus in tempore ſuo, quia cùm venit hora eius, vt tranſiret ex hoc mundo ad patrẽ, non diſtulit vt Deus clarificaretur in eo, tempus ſeruauit ſuum in ſepulchro,ſicut Ionas in ventre ceti in tempore ſuo reſurrexit,ſicut Daniel de lacu,ad cœlos aſcendit in tempore ſuo, cùm poſt 40. dies tempus fuit vt reuerteretur ad eum in gloria

Eccleſ.3. Gal.4. Oſee 10. Io.7. Io.13.

gloria,qui miſit illum in noſtræ carnis humili ſubſtãtia,Spir.ſanctum miſit in tẽpore ſuo. Nam poſteaquã glorificatus, Ad iudicium venturus eſt in tẽpore ſuo, nã in tempore,illo cõgregabo omnes gentes,remuneraturus eſt ſingulos in tẽpore ſuo, quia mercedem reddet vnicuique in tempore ſuo: Et certi nondum ſumus in nauandis operibus pietatis tempora permultũ adiuuare,atq; excicare fidei, & caritatis noſtræ
Rom.14. Gal. 4. tepentes igniculos.Nam quòd paulò ante attigeramus, & ex D. Paulo nobis obiiciebamus, vel quod ex eodẽ Apoſtolo obiici nobis præterea poſſet non eſſe iudicãdum inter diem,& diem, ſed potius iudicãdum eſſe omnem diem, nimis iam victa ſunt, cùm de Iudæorum ſabbatiſmis, ac Neomeniis, reliquíſque feſtis legalibus, vel etiam de Gentiliciis faſtis, & nefaſtis diebus nõ de feſtis Euangelicis intellexiſſe D. Paulum conſtet,quanquam de his ſuo loco paulò poſt,vti polliciti ſumus,nonnulla dicentur à nobis.

VRGET verò me paulò acrius, frater, quod, ex D. Ioannis Euangeliſtæ, imò verò ex verbis ipſius-met Dei, & magiſtri noſtri Chriſti (quod quintum caput erat repræhenſionum)in me contorques. *Mu-*

lier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis patrem, &c. quod ſtatim ſequitur vrgere adhuc me vehementius putas. Veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu, *& veritate, nam & pater tales quærit.* Hic te percontatum velim, num ex hoc loco deduci poſſe autumes, neq; templorum eſſe amplius vſum vllum, neque ſolemnibus, venerabilibúſque adhibitis cæremoniis adorandum eſſe Deum in lege Euangelica, quæ tota ſpiritualis ſit, & per quam antiqui teſtamenti vmbræ fuerint dudum abactæ, & diſſipatæ, ſi ais, nil intra eſt oleam, nil extra eſt iam innuce duri, imò nil in te, frater, ſani nec intus, nec foris eſſe dicerem, & lachrymarem: ſed nullus eſt mi frater, mi dulciſſime, atque amantiſſime frater, nullus eſt, qui dè te viro & in primis pio, & in pietate ſummè Catholico, Catholicámque veritatem contra omnes hæreticorum illuſiones conſtantiſſimè defendente, huiuſmodi deprauatas opiniones prodire poſſe ſuſpicetur, verũtamen quorſum mihi obiicis D. Ioan. locum ab hæreticis noſtri temporis in hanc fere tuam ſententiam mendaci atque impio ſenſu diſtortum? Dices, neque delubra diuorum

rum, neque ſanctas cæremonias ſummouendas eſſe arbitror, ſed ſanctitatem conſiſtere in locis, vel locum vnum eſſe alio ſanctiorem vel eſſe loca in quibus Deus largiorem, benigniorémque ſe hominibus præbeat, id verò pernego; quoniam Deus ſpiritus eſt, quoniam Deus vbiq; eſt, quoniã Deus neq; locis, neq; materialibus vllis elementis mancipatur, quoniam Deus in ſpiritu & veritate vult adorari. Quia tota huius loci diſceptatio pendet ex vltimorum verborum intelligentia, quæ Chriſtus mulieri Sammaritanæ dixit, & nos ea modo ex Euangelio D. Ioan. adducebamus, Age non indiligenter, nec perfunctorie textum hunc excutiamus, atque explicemus.

LOCVS D. IOANNIS EXPLICATVS.

MIRVM eſt, frater, quî tam paucis verbis tot, ac tanta inter ſe cohærentia inuicémq; prodeuntia myſteria claudantur: Equidem ne minimam
Mar.4. Sap.10. Prou.25. illorum partem indicare, nedum vniuerſa explanare poſſe me video; Adſit nobis, precor, Spiritus ſancti fauor, qui & ora mu-

torum

torum adaperit, & infantium linguas diſertas facit, ne in arcano tanto, quaſi diuinæ maieſtatis ſcrutatores opprimamur à gloria.

Primum myſterium, quod in his verbis relucet eſt, Chriſtum eſſe prophetam, vnde etiam Sammaritanæ eluceſcat, hunc prophetam eſſe Meſſiam.

Secundum myſterium eſt, adueniente Meſſia etiam ad gentes, adeóque per totum orbem terrarum verum Dei cultum eſſe propagandum.

Tertium myſterium, quod in his verbis latet, eſt, Chriſtum Ieſum eſſe verũ Deum, illum vbique terrarum adorandum.

Quartum eſt, Deum eſſe adorandum in trinitate diuinarum perſonarum.

Quintum, vnamquamque diuinarum perſonarum eſſe verè, ac propriè Deum, ac proinde adorandam.

Sextum, non propterea tamen eſſe niſi vnum Deum, & hunc ſolùm adorandum.

Septimum, filium Dei, qui venturus erat, expectabatúrque Meſſias, adueniſſe tum iam in mundum.

Octauum, Spiritum ſanctum mittendum fuiſſe paulò poſt, cùm hæc dicerētur.

Nonum, hunc Spiritum ſanctum nõ eſ-

ſe natura, vel ſubſtantia diuerſum à filio.

Decimum, Chriſtũ eſſe verum Deum, & verum hominem. Num in tota Chriſtiana fide maiora vlla ſacramenta reperiri poſſunt, mi frater? Ac iure quidem Sammaritanam fœminam, quæ typum gereret naſcentis iam Eccleſiæ tot ac tantis myſteriis grauidam videmus. Deducamus hæc ſigillatim, qua maiore poſſumus breuitate, & claritate.

Primum loci myſterium. PRINCIPIO vt fidem Sammaritanæ, quę Ieſum iam prophetam eſſe crediderat, confirmaret dominus, verè ſe illi prophetam eſſe denunciat, de quo dictum olim

Deut.18. Luc.4. fuerat, *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum*, & ipſe de ſe dixerat, nemo propheta acceptus eſt in patria ſua: propterea beatæ mulieri prædicit, & idololatriã omnem Sammaritanorum de lucis, atque de excelſis eorum paulopoſt excindendam

26. fore, quaſi ſecuribus, de mõte Garizim, & carnalem illam Iudæorum religionem de templo Ieroſolymitano mox abigendam eſſe, imò templum ipſum, ita vt lapis ſupra lapidem ſtaturus non ſit, omnino fore

Mat. 24. Marc.13. Luc.19. deſtruendum: Quæ ambo non multo poſt Chriſto vero Dei templo ſoluto per mortem in cruce, & de latere eius aperto viua,

&

& nũquam moritura Eccleſia Chriſti enata poſt annum ferè 44. eueniſſe nouimus: ea propter dicit Ieſus Sammaritanæ. *Mulier crede mihi quia veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Ieroſolymis adorabitis patrem.* Hæc prænunciatio, frater, euentus propediem futuri, quid habet, obſecro te, vt inde quis meritò inferre poſſit, locorum ſacrorum, & temporum ſacrorum nullam eſſe habendam rationem in eccleſia Chriſti? quis tam ſit delirus, qui ita argumentetur, ceſſabit idolorum vana cultura, mutabitur craſſus & vmbratilis veri Dei cultus. Ergo non locorum, non temporum vllus amplius habendus eſt reſpectus, vel perexiguus in religione?

POTIVS argumentari hinc licebat, quod alterum huius loci myſterium eſſe propoſueramus, hoc modo. Contendunt Iudæi nunquam adorari Deum oportere præterquam Hieroſolymis in templo Salomonis, quaſi Deus alibi non audiat vota deprecantium. Contra Sammaritani negant Deum eſſe vllibi adorandum niſi in monte Garizim, quod is locus à Moyſe delectus fuiſſet ad benedicendum populo, ſed veniet hora quando, neque in monte hoc, neque in Ieroſolymis adorabitis pa-

Secundũ loci myſter.

Deu. 26.

trē:ergo aduenientc Meſſia,non vnus erit,
aut alter præciſè locus in quo ritè, ac piè
adoretur Deus cœli,ac terræ dominus,ſed
Malac.1. quã longè quámq; latè patet orbis vniuer-
ſus,quia ab ortu ſolis,vſq; ad occaſum ma-
gnũ eſt nomē eius,in cũctis habitatæ terræ
locis tēpla Deo ritè,ac piè colēdo extruen-
tur, dedicabuntúrque & conſecrabuntur:
Quanto hæc (Deus bone) rectius, verius,
planius deducãtur,quàm tuę coactæ,men-
daces,diſtortæ illationes? Etſi ex hoc loco
ſacrorum locorum neque conſtructiones,
neq; conſecrationes,neq; diſcretiones à lo-
cis prophanis prohibentur, quanto magis
ſacrorum temporum obſeruationes, con-
ſtitutiones, venerationes,id quod inſtitu-
ti noſtri proprium erat, non eleuabuntur?
Tertiũ loci myſterium. Tertiũ myſteriũ dicebamus, Ieſum eſſe
Deũ,illum vbiq; terrarũ adorãdum. Nam
ſubdit ad Sammaritanã Chriſtus,vos Sam
maritani verbo Dei deſtituti (quandoqui-
dē Moyſis tãtùm libros, nõ autem ſanctos
quoq; prophetas recipitis)vos inquã, ado-
ratis quod neſcitis,vnde facilè erat inferre
27. etiã Iudæi carnales licet legem habeant &
prophetas,quia tamē ſuis vmbris nimium
adhærēt,neq; veritatis corpus tenent,ado-
rãt & ipſi quod neſciũt:neſciunt autē quo-
niam

niã caligine vmbrarũ Deum verũ inuolutũ habent: apertũ verò & in ſua luce fulgentem Deum nemo vidit vnquã & vixit: Sic vtriq; tam Sammaritani, quàm Iudæi adorant omnino quod neſciunt, quia Deũ illi Exod.33.
ſibi falſum effingũt, hi verũ Deum habẽt, Ioan.1. 1.Io.4.
velatũ tamen, & vmbrarũ inuolucris opertum, 1.Tim.6.
ita vt ambo re-vera adorẽt quod non videãt, neq; præſentẽ ſuis ſenſibus habeãt. *Nos adoramus quod ſcimus.* Loquitur iã Chriſtus in perſona verè Iudæorum, qui Chriſti Dei, ac ſaluatoris cõfeſſione veram fidem recepiſſent: *Nos, inquit, adoramus quod ſcimus*, hoc eſt, non amplius Deum cæremoniis legum, & vmbris occidẽtis litteræ tectum in venturo Chriſto adoramus, ſed ipſummet Chriſtũ re ipſa iam in ſua veritate, ac claritate præſentẽ, ipſum-met nobis in ſpiritu viuificãte reuelatum, ſub formam ſerui dominũ eſſe, ac Deum verum demonſtratum adoramus: ergo nos adoramus quod ſcimus, quia Deum inter homines, in ſimilitudinem hominum factum; verum Emanuellem noſtrum oculis iam noſtris aſpicimus auribus noſtris audimus, manibus noſtris attingimus; & virtute, quæ de ſanctiſſimo corpore manat, nutrimur & ſuſtentamur; ac proinde quod ſci-

mus adoramus, quia adoramus quem & vultu, & ſermone, & opere cognoſcimus eſſe filium Dei, atque adeò ipſum Deum. Sed cur cognoſcunt hodie veri Iudæi, veríque fideles Deum, quem carnales, ſuperiorísque ætatis Iudæi non cognouerunt? *Quia ſalus ex Iudæis eſt.* O, verbum mirificum; ô, verbum abſcõditum, apertiſſimum tamen, atque illuſtriſſimum quibus id voluit Deus reuelari. Nos Deum quem cognoſcimus adoramus, quia Chriſtus,
28. qui vocatur IESVS, ac propterea ſalus dicitur, quia ſaluum fecit populum ſuum à peccatis eorum, iam in mũdum venit. Notum eſt enim ea-met voce, vel non multũ abſimili apud Hebreos, & Syriacos pronunciari nomen proprium IESVS & ap-
Ioan.1. 1.Tim.6. pellatiuum ſalutis: vtrumque enim יֵשׁוּעַ dicitur: quaſi dicat ſaluator meritò nunc fideles adorant quod cognoſcunt, quia iam verbum caro factum eſt, iam Deus, inuiſibilis primitus, viſibilis factus eſt, iam Deus qui ſuper nubes habitabat prius lucem inacceſſibilem, in carne nunc manifeſta, & aſpectabili ſe exhibuit mortalibus. Ieſus denique qui ſalus mundi vera eſt *ex Iudæis eſt*, hoc eſt carnem iam ſuſcepit de proſapia Iudæorum, & de ſtirpe Dauidica

Chriſtus

Chriſtus Ieſus, qui Deus eſt, & quem hominem ſpirituales Iudæi iam factum vident, & cognoſcunt, adoratur vt Deus, Et ſic ſoli Iudæi veri Deum verum adorant quem ſciunt, & cognoſcunt: Hoc modo quod erat inuiſibile, factum eſt (quatenus fier poterat) viſibile, quod cognoſci humanis ſenſibus non poterat, nunc noua quadam, & admirabili ratione cognoſci ab omnibus & percipi poteſt. Ergo nos adoramus quod ſcimus *quia ſalus ex Iudæis eſt*, quod idem propemodum eſt, ac ſi aliis eiuſdem euangeliſtæ verbis diceremus, nos adoramus quod audimus, quod videmus oculis noſtris, quod perſpicimus, quod manus noſtræ contrectant, Quia verbum caro factum eſt, & habitat in nobis, & gloriam eius nos videmus & adoramus. 1. Ioan.1. Ioan.1.
Nolim, frater, terreri quemquam interpretationis huiuſce nouitate, potius precatos omnes, qui legent iſta, velim rem ipſam, verborúmque cum re aptitudinem, & connexionem attendant, ſecúmque reputent, qui noua fecit omnia, etiam in vetuſtate rerum, noui ſemper aliquid de ſuo ditiſſimo theſauro nobis elucere voluiſſe: vnde nouum argumentum contra iſtos nouatores, vel potius antiquæ, & ſanctæ religio- Apoc.21.

nis perturbatores ſuppeditatur : Negant
29. iſti corpus domini adorandum eſſe in Euchariſtia , etſi nonnulli eorum fateantur illud in ea realiter contineri , & ſubſtantialiter. Cur negent ? Quia, inquiunt, ſi Chriſtus hodie in viſibili carne nobis adſtaret, vti quondã in mortali corpore fuit in Iudæa, non propterea illũ adoraremus: Cur ita? quia corpus Chriſti creatura eſt, at creaturam adorare, idololatria eſt. Mitto modò communicationem (quam vocant) idiomatum, mitto perfectam in Chriſto humanitatem (vt inquit D. Auguſtinus) à diuinitate ſuſceptam atque diuinitati vnitam, mitto antiquiſſimorũ Theologorum apertam definitionem , tantùm dico, ex hocloco facile conuinci poſſe eorum pertinaciam : Nam ſi veri Iudæi adorãt quod cognoſcũt, quia in Ieſum ſeruatorem adorant de Iudæis ortum, quem vident : ergo corpus Chriſti, (teſtimonio ipſius Chriſti) rectè adoratur. Nec habent quò confugiant ad adorationem duliæ, cùm hîc de vera latria, vero , vnico , atque immortali Deo debita ſine controuerſia agatur.

Aug. de verbis domini hom. 58.

Myſt. loci 4.

Quartum myſterium Euangelicæ periodi erat, Deum adorandum eſſe in trinitate perſonarum, & hoc fortaſſe verbis illis inclu-

lis includi,nouũ aliquibus videatur, cùm
tamen nouum non ſit: veritate ipſa-met
atteſtante ab antiquiſſimo dierum fuiſſe
hoc olim in eam ſententiam prolatum. Dan.7.
Sed exploremus an ita ſit. *Sed venit hora, &*
nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt pa-
trem in ſpiritu, & veritate. Quibus poſſet
verbis dici clarius, id quod nos hîc dictum
eſſe aſſeueramus? Patrẽ adorare, eſt agno-
ſcere primam perſonam diuinitatis, quæ
pater dicitur, quia principium ſit à quo
emanent reliquæ: At patrem adorare in
veritate non eſt aliud, quàm adorare Deũ
in filio, hoc eſt agnoſcere ſecundam in di-
uinitate perſonam eſſe filium, qui veritas
eſt, vt ipſa de ſe veritas dicit, *Ego ſum via, ve-* Ioan.14.
ritas & vita & vt ſpiritus de illo teſtifica- 1.Ioan.5.
tus eſt in Ioan. Euang. qui ſcripſit *Chriſtus*
veritas eſt. porrò patrem adorare in ſpiritu,
patere per ſe iã poteſt, nil eſſe aliud, quàm
agnoſcere tertiam perſonam, quę Spirituſ- 30.
ſanctus dicitur. Ergo tunc Deum adora-
mus in ſpiritu, & veritate, quando confite-
mur eſſentiam diuinam eſſe tribus diſtin-
ctam perſonis, Patre, Filio & Spirituſancto
& ſanè Chriſtum in veteri, ac nouo teſta-
mento diuerſis vocatum nominibus ſci-
mus, ſed in nullo plus delectatum fuiſſe

ſpiritum veritatis vocari quàm nomine VERITATIS etiam non ignoramus. Nouum mihi opus inſtituendum foret ſi locos omnes, in quibus nomine veritatis
31. Chriſtus in ſacris litteris inſignitur, explicare velim: Quid illa tam frequens & tam arcta coniunctio miſericordiæ, & veritatis in pſalmis ſibi vult, frater? vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas. Non abſcondi miſericordiam tuam & veritatem tuam
Pſal.24. à concilio multo. Miſit Deus miſericordiã
Pſal.39. ſuã, & veritas ſua eripuit animã meam de
Pſal.56. Pſal.88. medio catulorũ leonum. Miſericordia &
Pſal.95. Pſal.97. veritas præcedent faciẽ tuã. Ad annuntiandum mane miſericordiã tuam & veritatẽ tuã per noctẽ. Recordatus eſt miſericordię ſuæ, & veritatis ſuæ domui Iſraël, & ſexcenti alij loci huius generis. Quid, inquam, ſibi vult iugalis iſta tam ſæpè repetita connexio, vt nil frequentius, nil arctius in tota ſacra pagina omnino eſſe videatur? Viderunt olim viri ſancti, prophetæ altiſſimi,
32. multò clarius iudicia Dei antequàm fierẽt, quàm nos hodie poſteaquã facta ſunt: miſſurus erat Deus filium ſuum vnigenitum, qui pro ſalute generis humani carnem aſſumeret: Itaque eſſet ſimul & Deus & homo: quoniam Dei proprium eſt miſereri

ſereri ſemper & parcere, filium Dei (quate-
nus Deus erat) miſericordiam vocarunt:
quatenus autem futurus eſſet homo, qui
in omnibus ſimilitudinem Dei in terris
repræſentaret, vera patris imago, vera figu- Col. 1.
ra ſubſtantiæ eius, vir qui iniquitatem nõ Heb 1.
fecit, nec eſt repertus dolus in ore eius, ap- 1. Pet. 2. Eſa. 53.
pellarũt Veritatem: Hoc eſſe ita, nobis ar-
gumento ſit, quòd alibi ſimul iungentes
Prophetæ par iſtud æternarũ, diuinarúm- 33.
que virtutum, miſericordiam dixerũt eſſe
in cœlis, veritatem autem nubes attinge-
re. Dominus in cœlo miſericordia tua, & Pſal. 35.
veritas tua vſque ad nubes: quoniam ma- Pſal. 56.
gnificata eſt vſque ad cœlos miſericordia Pſal. 107.
tua, & vſque ad nubes veritas tua: quia ma-
gna eſt ſuper cœlos miſericordia tua, & vſ-
que ad nubes veritas tua. Quaſi ſignifi-
caſſe voluerit, diuinam quidem miſeri-
cordiam in ſua diuinitate ſemper reſplen
dituram, diuinam autem veritatem ad nu-
bes vſque humanitatis aliquando deſcen- Pſal. 84.
ſuram. Hæc eſt illa veritas, quæ de terra
orta eſt. Hæc eſt illa veritas Dei quæ in cir-
cuitu Dei manet, & manet in æternum.
Hæc eſt illa veritas, quæ interrogata quon-
dam coram Pilato præſide Romano, quid 34.
eſſet veritas, tacendo prædicauit, ac do-

cuit:& quánam rationali, vel methaphyſica definitione potuiſſet Ieſus explicare melius, quid eſſet veritas, quàm ſilentio, ſe ipſum aperiendo, atque indicando, & ſanè verbis nullis rem poſſumus tam enucleatè monſtrare, quàm ipſius rei præſentis, & patentis oſtentione: Intueamur oculis fidei Chriſtum Dominũ in carne, & veritatem melius tenebimus, quàm ſi rerum ad intellectum adæquationem, vel cõformitatem omnem excogitemus: Chriſtus enim ſumma ſimilitudo principij eſt, abſque omni diſſimilitudine. Nec me verò præterit nomen veritatis in diuinis eſſentiale eſſe, non perſonale, ſed tamen nouimus etſi proprium filij non ſit, eſſe tamen filij quàm

D.Aug. de vera relig.

35. maxime (vt vocant) appropriatum, ac præſertim quatenus naturam humanam aſſumpſit, in qua licet à diuina natura remotiſſima, Chriſtus benedictus æqualitatem patris, & conformitatem intellectus diuini ſemper & vſquequaq; ſupra-quàm dici poſſit, retinuit. Huius rei ſi quis adhuc in ambiguo ſit, legat, precor, attentè, quæ apud D.Io. ſunt in c.8. *Quid eſt cognoſcentes veritatem liberandos eſſe à veritate?* Dubitas frater, an hæc propriè intelligenda ſint de Chriſto Ieſu? Confer cum his, quæ paulò

poſt

poſt ſequuntur, *Si ergo vos filius liberabit, verè liberi eritis:* Quis neget modò filium intelligi pro ipſo Chriſto Ieſu? Ergo Chriſtus Ieſus, propriè vel ſaltim appropriatè veritas dicitur. Hinc D. Paulus Apoſtolus Ieſu Chriſti, myſteriorum Dei particeps, & explicator, gratias agens Deo quòd nos elegiſſet in ſanctificationem ſpiritus & in fide veritatis, quid aliud intellexiſſe putandus eſt quàm quòd Chriſtus Sammaritanam docebat, & nos modo tractamus, adorandum eſſe Deum (ſi verè adorare illum volumus) in ſpiritu, & veritate, quod eſt in diuinitate ſancta ſanctiſſimam agnoſcere Trinitatem. Hinc ad ſacroſancta myſteria quotidie celebranda accedentes, & ad prima limina ſacri altaris aſcendentes quid præcemur apparet cùm dicimus, *Emitte lucem tuam & veritatē tuam.* Lux Dei, Sancti ſpiritus gratia eſt; veritas Dei, verbum æternum incarnatum Chriſtus Deus noſter eſt: quis dubitat? Hinc non minore quoque ſacramento planum nobis fit, cur eccleſia ſancta vocem ſanctam AMEN in ſuis natiuis elementis voluerit retinere: in qua etiam tantopere ſe oblectaſſe videtur, vt laudes nullæ, gratiarum actiones nullæ, nullæ obſecrationes, nullæ precationes ſine

Ioan.8. 2.Thes.2. 36. Pſal.42.

ne Amen, ſæpe, ac ſæpius repetita voce, fiant: Nimirum ſuauiſſima Veritatis voce, quæ Chriſtum dominum appropriato vocabulo exprimebatur, pia mater noſtra priuari dilectos ſuos nullo pacto voluit. Quemadmodum & vocem etiam Hosanna libenter, atque amanter retinuit, licet exotericam, licet peregrinam, licet incognitam, quia dulciſsimum, & iocundiſſimum nomen Iesvs in ea voce, ni fallor, comprehenderetur.

De ambabus hiſce vocibus, quando hic nobis occaſio datur, dicamus aliqua. Et primùm de Hosanna. Nulli dubium eſſe poteſt ex pſalmo 118. apud Hebræos & ex illo verſiculo, ô, *Domine ſaluum me fac ô, Domine bene proſperare, benedictus qui venit in nomine Domini.* Vocem Hoſanna valere, ſalua obſecro, ſed quoniã in feſto Tabernaculorum ramos cuiuſcunque generis ſiue ſalicum, ſiue, palmarum, ſiue oliuarũ in manibus tenentes Iudæi quaſi ouantes & gratias Deo de tuguriis tam lætis opportunè ſibi in deſerto præſtitis, agentes, in eius feſtiuitatis hymno, vſque & vſque repetebant, hanc ipſam vocem, *Hoſanna*, per quandam anaſtrophen, factum eſt tandem, vt vulgò Hoſanna dicerentur vel rami vel

mi,vel frondes,vel herbæ,vel virgulta, denique quicquid aptum ad ſcęnopægia compingenda eſſet, & ad vias ſternendas atque ornandas lętitiæ,& ouationis cauſa. Vnde aduenicnte domino ad ciuitatem ſanctam in die palmarum populus certatim virides ramos decerpens, eíque tanquam regi,ac victori, & imperatori ſtrata viarū honoris cauſa conſpergens,acclamabat *Hoſanna filio Dauid*, hoc eſt macti pueri,Hoſanna,Hoſanna,Rami Rami,en pueri adferte ramos,decerpite ramos, diſtringite frondes, ſternite vias, Benedictus qui venit in nomine Domini *Hoſanna in excel*
ſis,hoc eſt Rami affatim,vbertim rami, rami & frondes ad cœlos vſque, ramorum 37.
ſtrues tam altè ſpargantur vt aduenicnte rege noſtro vel cœlos ipſos contingant. Nec quicquam animi dubius ſum frater, vti plebs Iudæorum carnalium Hoſanna in excelſis acclamans id intelligebat,quod nos dicebamus, ita Spiritus ſanctus in animos Iudæorum ſpiritualium aliam intelligentiam longè excelſiorem & præſtantiorem inſeruiſſe,*Hoſanna filio Dauid*.honoremus & adoremus Chriſtum hominem. *Hoſanna in excelſis*. honoremus, & adoremus Chriſtum Deum,nam vt Chriſtus ho
mo

mo filius eſt Mariæ virginis de ſemine Da uid,ita ChriſtusDeus filius altiſſimi,qui in excelſis habitat. Nec eſt cur homines paulò doctiores *Hoſanna*, vertant in *Hoſcianna*: nam propriè hæc vox aliquantulum contracta ſcribi ſolet הוֹשַׁעְנָא & in ſe continet(vt omnibus in confeſſo eſt) nomen Ieſus,& ſalutis. AMEN autem etſi à 70.vertatur γένοιτο,& nos illud etiam duplicatum ſic
& Pſal. legamus in pſal.88.fiat fiat,tamen eſſe ver-
105. bum mihi non ſit multùm veriſimile,cùm ad illas Domini loquutiones, Amē, Amen dico vobis,quadrare ſic omnino nō poſſit: potius probē aduerbiū eſſe affirmatiuum & valere,verè,& propterea tam gratanter exceptum fuiſſe ab eccleſia, & retentum in ſua forma, vtpote vſurpatum à D.Paulo & à D. Ioanne Euangeliſta, quia אָמֵן veritatem indubiè ſignificat; veritas autem Ieſus Chriſtus eſt Dominus noſter, veritatis doctor,& inſpirator. SED huic interpretationi noſtræ q̄ patrē adorare in ſpiritu, & veritate ſit adorare tres perſonas in Trinitate,illud aduerſari videtur maximè, q̄
38. in Trinitate, ſecunda perſona eſt perſona Filij,cur ergo ſpiritus ante veritatem collocetur,& cur non potius dicatur,*veri adoratores adorabunt patrem in veritate,& ſpiritu.*

tu. Reſponſio in promptu eſt. primùm etſi in diuinis reperiatur ordo naturæ, prout in illis eſt ordo quidam ſecundum originem,tamen in diuinis perſonis nihil omnino dicitur eſſe vel prius, vel poſterius, cùm omnes perſonæ ſibi inuicem coæternæ ſint,& coæquales: ac propterea minus neceſſe fuit, illas ſemper naturali ordine, quem tenent inter ſe, explicare. Deinde ſi Spirituſſanctus amor eſt quo pater vnitur filio,& genitus à generante diligitur,genitorémque ſuum diligit, quomodo non rectè medius inter Patrem,& Filium ſpiritus interdum ponatur? Denique vti nemo venit ad patrem niſi per Filium, ita nemo cognoſcit Filium niſi per Spiritumſanctum: nemo enim poteſt dicere *Dominus Ieſus* niſi in Spirituſancto: ſoli namque ij, qui gratia Dei præuenti Spirituſſancti munus acceperunt, agnoſcunt & confitentur Dominum Ieſum veniſſe in carne. Hæc via regia ad ſalutem eſt. His quæ hactenus diximus de Veritatis nomine, quomodo filio Dei attribuatur, addamus & hæc ex naturalium rerum cognitione, quæ ſupra naturam tamen ſunt. Inter omnia Dei attributa quatuor à metaphyſicis tranſcendentia vocata diuinæ naturæ potiſſimùm

D. Tho. 1.1.q. 24. art.3.
D. Atha. in ſymb.
D. Aug. 6. de tri.
1.Cor.12.
Rom.8.
39.

conuenire videntur. Ens, vnum, verum, & bonum. Eſſentiæ quod horum magis quadrabit quàm ens, à qua omnia habent, quòd ſint? Patri quid melius cõuenit, cùm principium ſit, quàm vnitas? Spirituiſancto, qui amor eſt & fauor, quid arctius cohærere poſſit, quàm bonitas? Filio nunc mi frater, quid reſtat præter veritatem? veritas ergo eſt Filius, & Deum adorare in veritate eſt cognoſcere Filium Dei eſſe verum Deum, & adorandum ſimul eſſe cum Patre, & Spirituſancto. Nunc ad reliqua pergamus.

Quintū loci myſterium.

Quintum huius loci ſacramẽtum erat, vnamquamq; diuinarum perſonarum verè, ac propriè Deum eſſe, ac propterea om-
40. nes adorandas. Nam, inquit, ſpiritus eſt Deus, id eſt, Spirituſſanctus eſt verè Deus, quamuis enim alij accipiant *Spiritus*, hîc ſtare à parte adiacentis, nos tamen veritatem noſtræ expoſitionis proſequentes, & puritatem, ſimplicitatémque locutionis Euangeliſtarum attendentes, & multas difficultates quę alioquî ſequerentur euadentes, à parte ſuppoſiti potius conſiſtere arbitramur. Ex hac prima aſſumptione neceſſario nobis ſubintelligenda eſt (ſi illationem volumus prouenire de ſuis præmiſſis

miſſis)altera ſimilis, cómpárque. *Et veritas eſt Deus.* Vnde rectè inferamus,veros adoratores,in ſpiritu,& veritate oportere adorare: Nam ſi ex eo quòd dixit, ſpiritus eſt Deus,inferendum ſit, ergo Deus adorandus eſt in ſpiritu,profectò ſi Deus adorandus eſt in veritate, vti dicit, præmiſſum oportuit,veritatem quoque eſſe Deum,ſicuti aſſumptum fuerat, ſpiritũ eſſe Deum. Hinc patet quod propoſueramus contineri in his verbis: Et vnamquamque perſonam eſſe Deum,& ſingulas adorãdas eſſe.

Sextum, quod ex his Chriſti verbis colligitur,eſt, etiamſi perſonæ ſingulæ Trinitatis adorandæ ſint, non propterea tamen niſi vnus Deus adorandus eſt.Nam etſi Spiritus ſit adorandus, & Veritas ſit ipſa quoque adoranda, non tamen niſi vnus adorandus eſt Deus:apertè enim, & diſertè dicit,& qui adorant *eum*,non autem *eos*:quoniam tres perſonæ licet differant inter ſe notionibus, proprietatibus, relationibus, originibus;natura tamen, ſubſtantia, atq; eſſentia nulla in re penitus differũt,quandoquidem vnus tantùm verè ſunt Deus. Sextum loci myſterium.

Septimum patet ex verbis à Sammaritana illatis. *ſcio quia Meßias venit.* Ergo filius Dei qui venturus erat, expectabaturq; Septimũ loci myſterium.

tam à Iudæis, quàm à Sammaritanis, qui Moyſem habent, Prophetas non habent, aduenit iam in mundum.

Octauũ loci myſterium.

Octauum eſt Spiritumſanctũ fore mittendum paulò poſt, cùm hæc dicerentur, atque hîc pium atque attentum lectorem

41,

oratum velim conſideret, primùm, mulierem Sammaritanam ſpiritu Dei afflatam non eguiſſe vel multis, vel apertioribus verbis explicare, quæ virtute fidei iam cõceperat, alloquens eum, qui & fidem, & mentem in animo illius iam inſeuerat. Deinde, illud, *Venit* cum illo *Venerit*, minus cohærere. Nam ſi Meſſias venit, cur dicit, *cùm ergo venerit*: eadem enim difficultas emergit ſiue illud, *Venit*, ſit præſentis temporis, vt textus Græcus oſtendit, ἔρχεται, vel præteriti. Mihi ſanè videtur, ſi doctiores annuant, hîc opus eſſe diſtinctione paulò diligentiore. Nam cùm illud primum, venit, indubitatò reddendum ſit Meſſiæ, poſterius, *Venerit*, referendum certè erit ad Spiritumſanctum, vt ſenſus ſit, atque verborum contextus huiuſmodi; excepit mulier vltima verba Chriſti, quæ erant *in ſpiritu, & veritate oportet adorare Patrem*, & ſtatim infert, *ſcio quia Meſſias venit*, id eſt, veritatem in qua tu adorandum Patrem

eſſe

eſſe dixiſti, qui, & vnctus & Chriſtus & Meſſias noſter eſt, quem expectabamus, virtute fidei, quæ in me radices aliquantas egit, ſcio, Domine, iam aduenisse: ſed de Spiritu, qui nobis hunc Meſſiā apertè, atque indubitanter reuelet, in dubio ſum, quando ſit venturus. Cùm venerit tamen, ille nobis (ſpero) annuntiabit omnia. Ac ſanè Chriſtus dominus non venit in mundum vt annuntiaret omnia: nam ille de ſe dixit, *adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modo*: venit tamē in mundū, (Ioan.16) vt morte ſua triumphans de mundo ad Patrem reuerſus mitteret illum in mundū, qui annuntiaturus erat omnia: *Paracletum Spiritumſanctum quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia* & alibi. (Ioan.14.) *Cùm venerit ille ſpiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* (Ioan.16.) Et ſanè ſpiritus Domini, qui ſpiritus eſt veritatis, ille nobis omnia nunc in eccleſiā, & per eccleſiam annuntiat, prout anuntiari loca, & tempora poſtulant eccleſiæ.

Nouum loci myſterium.

Iam nonum ſe pandit arcanum. Spiritumſanctum etſi differat à filio, quia hic iam tum veniſſet, ille vēturus adhuc eſſet, tamen natura, vel eſſentia nil differre inter ſeſe: Nam cùm poſtrema verba protu-

liſſet mulier de Meſſia,& de paracleto,ſtatim Chriſtus infert. *Ego ſum qui loquor tecũ.* quaſi dicat, & Meſſias qui venit,ego ipſe ſum,qui in hypoſtaſi perſonam gero Filij, & Spirituſſanctus qui paulò poſt venturus atque annunciaturus eſt omnia, ego quoque ipſe ſum,qui in eſſentia idem omnino cum illo ſum, neque is vobis dicet,niſi

Ioan.4. quæcunque ego dixero vobis.

Decimũ loci myſterium. HINC vltimò tandem quod erat maximum omnium myſteriorum Dei explicatum habemus , Chriſtum eſſe verum

42\. Deum,& verum hominem.Nam,*Ego ſum*, quæ propria vox. Dei eſt, qui ſolus eſt,qui eſt;cùm alia ſint,quatenus ab illo ſunt, diuinitatem ,& *qui loquor tecum* quæ natiua vox hominis ſolius eſt,cuius proprium eſt ridere,& loqui, humanitatem Chriſti veri Dei,atque hominis, ſimul nobis exponũt.

Itaque ſi ex hoc Euangelico loco multa deducat quis contra Ethnicos, contra Iudæos,contra Saracenos,contra Arianos, Sabellianos,Macedonianos, contra etiam noſtros Martiniſtas,& Caluiniſtas,contráque alia ſexcenta hæreticorum monſtra, facilè aſſentiar,& mecum faciet:ſed quòd ex hoc loco,locorum vel temporum colligatur in religione nullam,aut perexiguam haben-

habendam eſſe rationem, vnde contra noſtram ſententiam, ſententiæque noſtræ fundamentum, feſtorum fixorum in religione ſarctatecta multifacienda non eſſe inferatur, nullus mihi quantacunque ille ſit vel doctrina, vel auctoritate vel gratia præditus, ſine ſuperiorum meorum auctoritate, quibus meme, meóſque omnes cogitatus ſubmitto, perſuadebit vnquam. Nunc ad inſtitutum reuertamur.

Ad obiectum ſextum reſpon.

IAM ſexto loco (frater) me fraternè admones, ſententiam noſtram, qua ſanctos in cœlis affirmamus ad audiendas preces noſtras eſſe paratiores vno tempore, vel loco quàm alio, videri aliquibus nimis periculoſam. Me miſerum, periculoſam? ſed amabo te, frater mi, quale hoc periculum eſſe dicunt? infidelitatíſne, an hæreſeos? ab infidelitate ſanè periculi minimũ hinc impendere poſſe videtur, quando ſanctorum precibus adiuuari mortales plus vno tempore vel loco quàm alio, fidei potius auctarium eſt, quàm intertrimentum, ab hæreſi verò quî potis ſit ex iſto dogmate ſuboriri, quicquam periculi, ſi cum hæreſi pugnare illud vſque ad internecionem ex oppoſito conſpicimus? ac ſanè ſi hanc ſententiam conſtanter atque intrepidè te-

neamus,omnem huius temporis hæreſim de medio ſublatum protinus iri nullus planè ſit,qui non videat. At dices, non ab infidelitate, nō ab hæreſi periculum inde vllum metuimus,verum à Gentilitate: nam Gentilitatem ipſam redolere ſententiam iſtam tuam affirmant.Haud miror naſutos homines acrius olfacere atque abſtruſius: ægrè tamen fero, eſſe ingenij me tam ſtupidi, vt in quo ſanctos exaudire preces noſtras dicere plus vno tempore vel loco, quàm alio Gentilitatē ſapiat, non diſpiciā. Age num ſanctos,quos in vnius Dei viſione,ſiue fruitione beatos credimus per ſe deos,ac per ſe ſanctos,ac per ſe noſtras preces audire aſſeueramus? hau nihil minus. At ſancti,inquis,in Deo vident quæcunq; vidēt.quid tum?quídue hoc ad nos? fortaſſe paras inferre,Deus eſt immutabilis,ergo quæ ſancti in Deo vidēt ſiue id viſione matutina fiat,ſiue veſpertina, ſine vlla mutatione vidēt:ſed quid tū poſtea?Ergo,infers nō alio modo preces noſtras audiunt vno tempore,vel loco quàm alio: Fallacē collectionē quis nō exclamet?nam etſi Deus mens ſimpliciſſima, atq; puriſſima mutationē non admittat vllā,mentes noſtræ ta-, men,quæ in ſpeculo illo relucēt immobili,

atque

atque inuariabili variantur, mutantúrque ipſæ ſubinde pro temporũ, locorúmq; mutatione, ac variatione. Hinc fit vt nõ ſemper eodẽ modo cœleſtem illam vim, nimirum Spiritusſancti gratiam in ſe recipiant, ſanctorum adiutæ ſuffragiis, ſed prout vel plus, vel minus caritate modò flagrẽt, modò tepeant, in illa ſuprema rerum omnium, quas creauit, capaciſſima mẽte, modo ſplendidius, modo obſcurius repræſentẽtur: at caritate inardeſcunt hominum mẽtes vno tum loco, tũ tẽpore plus, quàm alio, quod nullus, credo, ſit qui neget. Ergo in Deo plus, ac melius relucent vno loco, & tempore quàm alio: vnde ſancti procliuiores ſint ad exaudiendas preces noſtras ſi vno, vel tempore, vel loco ſupplicentur quàm alio. Ni ſe res ita habeat, cur ad pulſum campanæ excitantis nos ad ſalutationem Angelicam precationes noſtras Deiparæ virgini gratiores eſſe, ac nobis propterea vtiliores credamus? imò ſi piorum hominum affectus non mentiuntur, Cur quæ primo diluculo à nobis ſacro bombo admonitis Angelicæ ſalutationes recitantur, longè feruidiores, viuidiores, ſacratiores ex animis noſtris procedunt? Nimirum ea ipſa diei hora eſt, qua Angelo

nunciante B. Mariam concepiſſe ſalutem
noſtram de Spirituſancto non dubitamus:
qua veriſſima, & certiſſima perſuaſione
imbutæ inflammantur hominum mentes
in caritate Dei, & ardẽtiores, feruidioreſ-
que ad recolẽda Dei, & patris noſtri pietiſ-
ſimi erga nos ineffabilia beneficia efficiũ-
tur, neque tamen ego is ſum qui ſuperſti-
tioſè in horis, vel momentis ineſſe per ſe
aliquid putem diuinitatis. Eſſe me tamen
eum etiam atq; etiam profiteor, qui tem-
pora quædam, & momenta temporum,
aptiora & opportuniora credam, in quibus
caritas in nobis magis inflammetur, vel
minus pro cuius flagrantia vel tepeſcen-
tia Deus ſupplicationes noſtras plus, vel
minus ipſe exaudire, & à ſanctis ſuis cogno
ſci velit. Affectum tuum operi tuo nomen
imponit, dicebat vir & ſanctus & doctus:
Cur & nos affectum noſtrum, qui tempo-
ribus acuitur in ſanctitate, tẽporibus ipſis
Luc.18. nomẽ ſanctitatis aliquando non imponere
1.Thes.4. concinamus? Nec verò me præterit iuſſiſ-
44. ſe dominum ſemper orare, & nunquam
deficere: & D. Paulum monuiſſe nos, vt
D.Aug hæret.52. ſine intermiſſione oremus, ſed neq; igno-
D.Anſel. in epiſt. D.Pauli. ramus hoc à ſanctis viris D. Aug. D. Anſel-
mo atq; aliis ita explicatum fuiſſe, vt nul-

la

la intermitterentur orandi tempora: Audis frater?certa ſunt tempora orandi:ſi Eccleſia nobis certa orandi tempora conſtituit vel in anno,vel in menſe vel in die,cur nō ſint nobis hæc ad preces aptiora, quàm quæ ſibi vnuſquiſque pro ſuo arbitrio ac temere finxerit? Sanctificat Eccleſia quæ prophana ſunt, & nō ſanctiora reddet quæ ſunt ſancta? Etſi tempora ſigillo Eccleſiæ impreſſa fiunt ſanctiora, quomodo negas tempora quicquam facere ad religionem? &tēporibus certis,locíſq; certis preces noſtras Deo ac ſanctis Dei eſſe gratiores, & quaſi certiores? Certior hac de re vis fieri adhuc? Lege quæ D. Ambroſius de feſtis diebus verba faciens in nobili illa epiſtola ad epiſcopos per Æmiliam cōſtitutos ſcripſit. *Hoc eſt tempus acceptabile, quod conuenit præcepto, & hi ſunt dies ſalutis non dantes vllam offenſionem, in quibus vult Deus plus placari & plus placantibus gratiæ impartiri.* Intelligis frater? vult placari Deus plus vno die quàm alio, cur nolit ſanctis in verbo ſuo, vel in eſſentia ſua preces noſtras auſcultantibus acceptabiliores eſſe orationes noſtras vno tempore quàm alio? De locis verò quid ex eodem ſanctiſſimo, & auguſtiſſimo Eccleſiæ doctore adducamus,

D. Cypr. in orat. domin.

D. Hier. ad Euſt. & in 6. c. Dan.

D. Amb.

vnde

D. Amb. lib. de viduis.

vnde liquidò conſtet certis in locis plus quàm in aliis vota ſuppliciter exaudiri? En librum de viduis euoluamus, ibi omnes quidem martyres inuocandos eſſe piè, ac verè docemur, ſed eos præſertim quorum quodam corporis pignore patrocinium nobis vindicamus. Quid ſibi aliud hæc verba poſtulant, quàm eos maxime ſanctos eſſe nobis inuocandos in propriis eorum nomine Deo dicatis delubris, vbi ſa-
45. cræ reliquię eorũ aſſeruantur? Reum nunc meipſum faciat; qui volet gentilitatis, modo patronus tantus cuius auſpiciis gentilitas omnis profligata fuit adeſſe mihi loco, ac tempore non dedignetur. Neq; prætereundum videtur. Cum D. Ambroſius hæc ſcriberet, omnes imperij Romani angulos putêre adhuc gentilitate, & tamen veritus non eſt ſanctus vir ea pronunciare, quæ iudicio tuo, redoleant gentilitatem, quid modo dicat ſummus Eccleſię doctor ac magiſter, ſi in humanis extaret, cũ gentilitas omnis extincta penitus iam dudum ſit, à cuius putore, & fœtore nõ eſt cur horreamus? Contra verò hæreſis enata ſit peſtilentiſſima, virulentiſſima, quę venenum latiſſimè, latentiſſiméque diſpergit? præſtare nimirum, diceret, nocentiſſimũ graſſentem

ſentem morbum quàm ocyſſimè fugere,
& auerſari, à cane autem mortua dudum,
& combuſta nequicquam poſſe amplius
ad nos periculi deriuari. Tendúntne hæc
mi frater ad gentilitatem, an vniuerſæ potius
Lutheranæ hæreſeos iugulum audacter
petunt? parcant itaque verbo pij, ac
modeſti homines, parcas & tu frater formidini:
non eſt cur gentiliſmi veſtigium
vllum in opinione ac ſcripto noſtro reperiri
poſſe verearis: licet veriſſimũ ſit & antiquiſſimorum
teſtium auctoritate confirmatum,
non omnes ethnicorum conſuetudines
ad rectum vſum traductas, & ad lib.30.de imag.
Dei ac ſanctorum honorem conuerſas eſſe Pſa.102.
reiiciandas.

Si qvis dicat inſtitutum hoc Catholicum, 46.
piámque iſtam opinionem ſapere
humanitatem, non contradicam: homines
enim ſumus, & humani plurimum à nobis
alienum eſſe nòn poteſt: imò & miſericors
Deus, qui nouit figmentum noſtrum humani
ſemper aliquid prodire ab homine
non auerſatur: voluit quidem nos diuina
bonitas, quæ ſurſum ſunt ſapere ſemper, &
quæ ſuper terram omninò obliuiſci, verumtamen
& naturæ noſtræ, quam ipſe fecit,
quam ſine vllo merito noſtro adamauit,

uit, & etiam aſſumpſit, multa condonare & quaſi commiſereri ſolet. Etſi id quod animo inſedit meo liberè mihi fas ſit pronunciare inter alias cauſas & maximas & præcipuas quæ diuinam miſericordiam
47. mouerunt, cur Deus homo, hæc non fuit in poſtremis, vt homo in colendo Deo ingenium ſequutus ſuum, ſuiſq; ſenſibus nimium adhærens, minus aberraret, minúſque propterea in vllã idololatriæ culpam, ad quam natura corrupta repit, relaberetur, voluit ab initio Deus adorari ab ho-
2.Cor.3. minibus verè, hoc eſt in ſpiritu, cùm ipſe ſpiritus ſit, ſed homo cùm in mortali corpore degit, ſine ſenſibus, propter antiqui peccati labem nihil intelligens, nihílque reſpiciens ad elementa ſenſibilia ſemper deflectebat. Hinc omnis idololatriȩ radix apud gẽtes, hinc vana, atque impia religio Sammaritanorum, hinc nimis craſſa, & carnalis antiquæ legis intelligentia, & obſeruatio Iudæorum, miſertus eſt tandem in hac quoque parte figmenti ſui Deus: miſit filium ſuum in hunc mundnm, qui præterquam quòd ſanguine ſuo redimeret mundum, carne etiam & ſanguine ſuo ita erudiret mundũ, vt oĩs idololatria prorſus de mundo tolleretur, & verus Dei cultus

tus humanę naturæ conuenientiſſimus inſtitueretur. Itaque verbum diuinum humanitatis aſſumpta carne mirabili, quodammodo effecit, vt ſi homo in requirendo atque adorando Deo inuiſibili, atque immortali ad res viſibiles, atque mortales per quas ad inuiſibilia, atq; immortalia Dei peruenire poſſit, reſpiciat, in nullo vel errore vel piaculo depræhèndatur: Ergo nūc Heb.11.
& Chriſtum hominem in cruce pendentem verè, ac piè adoramus, vti Deum: nam Deus verus verè Chriſtus eſt. Et virginem Dei matrem reliquóſque ſanctos Dei ſeruos adoramus quoque; ſi non latria, ſaltim hos quidem dulia, illam verò etiam hyperdulia. Hinc alter diuinæ miſerationis, ac benignitatis erga genus hominum fons vberrimus aperitur, quem mihi Catholicam ſitientibus veritatem occultare reli- 48.
gio ſanè foret. Non ſat habuit pater cœleſtis de viſceribus miſericordiæ ſuæ filium ſuū hominem factum nobis dare, vt quaſi ſenſibus noſtris Deū inuiſibilē atq; inſenſibilem videremus, teneremúſq;, ſed hunc ipſum filiū ſuū ſemel nobis in viua, ac vera carne datum nobiſcum ſemper eſſe, & vſq; Mat. 28.
ad conſummationē ſæculi nobiſcū in terris habitare, etiā poſteaquam ſuper cœlos

ad

ad dexteram Dei patris omnipotentis con ſediſſet, voluit. Et hoc, ni fallor eâdem-met inter alias atque alias, cauſa, nimirum vt haberent ſenſus noſtri, qui non niſi in rem præſentem feruntur, etiam poſt aſcenſionem Dei noſtri ad cœlos, in quo acquieſcerent, & vbi tanquam in aſtanti obiecto naturale deſiderium paſcerent, & ſatiarēt. Cúmque ita inuiſibili forma, & quantitate extenta neque natura, neque quicquid natura melius eſt, patiatur, corpus quod verè ſit, id eſſe pluribus ac propemodum infinitis in locis, admirabili ſuá potentia, atque amore erga homines effecit omnipotens & miſericors Deus, vt corpus Chriſti in ſubſtantia ſua vera, inuiſibili, nullóque circumſcripta loco, ſub accidentibus non ſuis viſibilibus, & loco circumſcriptis ſubiiceretur ſenſibus noſtris. Sic diuina potentia, ſapientia, beneuolentia factum eſt, vt Deus qui viſus eſt olim in carne, nunc videatur in ſpeciebus panis, quæ ſubſtantiam carnis vnitam diuinitati cum beata anima nobis manifeſtò indicēt. Quis non egregiam Dei munificentiam erga homines deoſculetur, & admiretur, qui ſingulari Chriſti filij ſui vnigeniti beneficio obtinuerunt vt ſenſus noſtri Deum habeant

quem

quem adorent, & quem videant. Et tamen intellectus ope ſenſuum adiutus, & fidei dono inſtitutus, dicat ſecum; Hîc Deus certè eſt, quia hîc ſubſtantia veri corporis Chriſti viui, ac veri Dei eſt: hanc ipſam adoro, quam non video: exteriora quæ video non adoro, quoniam illa etſi Deum mihi commonſtrent, Deus tamen haudquaquam ſunt. Quid habent canes Lemanici quod hîc arrodant? vel quid potius non hîc habent piæ mentes, & fideles cur bonitatem, indulgentiam, miſericordiam maximoperè inſpiciant, & venerentur Dei noſtri, qui infirmitati naturæ humanæ conſultum eſſe voluit omnibus modis? Amare quod bonum eſt natura nos ipſa docet, in amore Dei, qui ipſum ſummum bonum eſt, voluit optimus Deus, nos vitam æternam nobis facillimè comparare, quid enim amore facilius, procliuiúſque? at amare quod minus intelligimus non valemus, intelligere homo, quod prius cogitatione aliqua ſibi effictum non ſit, haud poteſt: cogitatio nulla interius excitatur in nobis, quin ſenſibus exterioribus prius aliquid obiiciatur, ergo quod non videmus, nec ſentimus amare non poſſumus, quomodo ergo Deum inuiſi-

bilem, inſenſibilem, inexcogitabilē amaremus? Rorent cœli deſuper, aperiatur terra, aperiatur claue Dauidica, quæ aperit, & nemo claudit, aſcendat flos de radice Ieſſe: veniat deſideratus, habitet

Eſa. 45. Emmanuel nobiſcum Deus, & quæ fieri nullo modo poſſe putabantur, iam in procliui eſſe noſcentur: Aſſumpſit ergo verbum Dei naturā carnis, vt nos cogitatione aliqua interiori ſenſibili Deum hominem factum imaginando effingeremus: natura iſta carnis diuina datur nobis ſub ſpeciebus panis, & vini, vbicunque myſterioſa verba ritè proferantur ad altaria ſacra, Cur ita? vt ſenſus noſtri habeant in quod reſpiciant, & tendant tanquam in Deum ſenſibilem quodammodo admirabili factum, & ita ſenſibilem vt quamuis in cœlo ſit vno tantùm in loco verè, & quantitatiuè, in terris ſit tamen quamplurimis in locis ſimul, nihilominus verè, ſed ſacramentaliter: Quid modo reſtat, Cur Deus (quatenus homini licet) ab homine non intelligatur, & cognoſcatur, intellectus, & cognitus non ametur, ama-

49. tus non efficiat homines beatos? Frater mi, nónne Chriſtianæ fidei perfectio hinc ſuper omnes alias de Deo perſuaſiones

facillime

facillimè probari poteſt? quæ verũ Deum nobis eo modo colendum præbeat, quo melius, aptiúſque à natura humana recipi poſſit? Sed nimium fortaſſe à propoſito aberrauimus, dum non multùm aberrare homines probamus, ſi Deum, & ſeruos Dei colant humano ſemper aliquid ingenio condonantes.

SED obiicis ſeptimo loco nimium dari ex hac poſitione influxibus cœleſtibus, paulóque, pluſquam par ſit, aſtrologicam artem inde conſtabiliri. At ego, frater, in toto illo meo libellulo de cœleſtibus influxibus qui naturales ſint, quíque ex ſtel- 50. larum, aut cœlorum lumine vel motu in nos diſtillent, nullam vllibi feci mentionem, & ſi quando vel influxus, vel illapſus de cœlo nominauerim de ſola omnipotentis Dei gratia in nos influentis plus vno die quàm alio, pro animorum noſtrorum affectu feruentiore vno die, quàm alio, intellectos iri volui. Neque ex hac poſitione quomodo, id quod infers conſequatur etiam videre poſſum: nec ſi conſequatur, quid inde abſurditatis promânet, diſpicio. Nam ſubtiliſſimè ſolent diſputare ſcholaſtici, de cœlo Empyreo, & eſſe quidem ſupra cœlum Chryſtallinum,

Ad obiectũ 7. reſp.

ſiue ſupra primum mobile, vt vocant phyſici, aliquot corpus in natura, vel ſupra naturam in quo Angeli, atque beatæ animæ vitam ducunt in contemplatione beatiſſimam, nulli vnquam fuit Chriſtianorum aut eſſe poteſt dubium: ſed num huiuſmodi cœlum, à ſplendore, non ab igne Empyreum dictum, corpus ſit, nécne, addubitauerunt nonnulli, qui tandem conuicti fuerunt ex eo q; etſi beatis ſpiritibus nõ ſit neceſſe corporalem aliquem locum attribui in quo contineantur, decentiſſimum tamen fuit pro vniuerſi ordine, & connexione, vt ſubſtantiæ ſpirituales non dirimerentur à corporalibus, præterquã quòd beatis animabus, quæ iam corpora reaſſumpſerunt ſua (multa enim corpora ſanctorum, quæ dormierant ſurrexerunt &
Matt. 27. reſurrectura ſunt omnia in extremo iudicio) locum aliquem dandum eſſe corporeum videtur eſſe neceſſarium: Cùm autem ab iiſdem theologis diſputatur, Num corpus huiuſmodi mobile ſit, & eſſe mobile ex eo videatur quia corpus ſit: nihilominus, quandoquidem influentia cœli noni, quod eſſe primum mobile dicebamus, ad ſuperiora corpora, & continentia peruenire non poteſt, in hanc ſententiam

conue-

conuenerunt propè omnes vt illud cœleſte corpus eſſe omnino immobile affirmarent. Vbi verò à doctiſſimis,& nobiliſſimis theologiæ ſcholaſticę magiſtris,quæſitum eſt vlterius, Num hoc cœlum empyreum influeret in hæc corpora inferiora, diuerſi diuerſa ſenſerunt: Alij quia iam in confeſſo erat corpus illud eſſe immobile, & corpus agere in aliud corpus niſi per motum naturalis ſcientiæ decreta non patiebantur, neque influere in nos neq; in inferiora corpora contenderunt: Alij contra quia corpus hoc omnium corporum nobiliſſimum, continet reliqua, corpora autem quæ continent niſi contrarietatem habeant ad contentum, ſemper quaſi mater vlnis & pectore filiolos confouet & conſeruat, contra ordinem vniuerſi contráque dignitatem nobiliſſimi corporis eſſe decreuerunt, ni prorſus influeret in ſuos omnes orbes à ſe contentos. Quis erit huiuſce litis arbiter ex æquo & bono 51
frater mi? id ipſum, ni fallor, de quo nunc agimus: ſunt loca quædam in terris ſanctiora aliis, ſunt loci inter homines vbi terribiliora videantur opera, quàm in aliis, ſicuti ſupra probatum fuit: ſunt tempora ſub cœlo, & ſuper terram ſacratiora aliis, ſunt

tempora in Eccleſia militante in quibus preces à nobis ſolutæ Deo, ſacrificia per nos oblata Deo, gratiora & acceptiora diuinæ maieſtati accidunt quàm in aliis temporibus: Neq; huius diſcriminis cauſa vlla eſt in terris. Ergo de cœlis manat, de cœlis ſtillet. Neque ſum tamen neſcius totum hoc diſcriminis pendere ex affectu noſtro, prout caritate nunc plus, nunc minus accendatur: verumtamen affectioni noſtræ modo tepidioris, modo ardentioris
D. Paul. aliqua ſemper cauſa eſt. Neque ſanè po-
D. Aug. 3. hypog. tior inueniri vlla poteſt diuina voluntate, nam gratia Dei ſumus omnino quicquid
Sap 8. ſumus: attamen Deus qui diſponit omnia ſuauiter, idoneis mediis tanquam adminiſtris cuncta, ſiue illa media nota nobis ſint, ſiue ignota, ſemper operari credendus eſt. Itaque ſicut naturales effectus operatur Deus in terris per motus cœlorum, perq; ſtellarum lumina, ita ſupernaturales effectus, vtpote fauoris, & gratiæ ſuæ mirificos illapſus in animis noſtris creat per motus huius cœli immobilis, & per lumina ſtellarũ quæ in hoc cœlo ſplendidiſſimo non relucent. Mira ſunt omnino quæ dicis, dicet aliquis, motum habere rem immobilem; ſplendere, quod non

proferat

proferat lucem: ſed quid miri eſt in rebus
admirabilibus miranda ediſſerere? Mo-
tus immobilis cœli voco immiſſiones An-
gelorum, quibus mandauit Deus vt his
vel ſacris locis, vel ſacris temporibus ſi-
gillatim præeſſent: ſydera huius cœli bea-
tæ animæ ſanctorum eſſe putanda ſunt, Sap.3.
quæ vt ſcintillæ in arundineto ſibi lucent
in empyreo cœlo, ſed nobis modò lippien-
tibus in hac caligine non reſplendenta, li- 1 Cor.13.
quando tamẽ euacuato ꝙ ex parte eſt, ſole Eſa.30.
nobis lucidiora apparebũt. Hi ſũt influxus
noſtri, frater, ſiquidẽ influxus vlli poſitioni
noſtræ conſequãtur: Hoſce quis auerſari?
quis reprehẽdere? quis inſimulare audeat?

Sed octauo etiam loco, mirari te ais, Ad obiectũ 8. reſp.
tantum me quaſi tragœdiarum excitaſſe,
noſtrarúmque calamitatum cauſas in hos
feſtiuitatum neglectarum errores immeri-
to contuliſſe, velim (mi frater) modeſtos
homines, ac pios, modeſtè ac piè de meo
ſenſu iudicare, qui cũ ſummoperè cupiam
ſummi atq; omnipotẽtis Dei, ſanctorúmq;
eius cultum in ſuam integritatem reuoca-
ri, id eſſe cauſæ dixerim, quod licet prima-
rium non ſit, neque ſpiritum efficiendi vi-
talem habeat, opitulatur tamen mirificè,
& quaſi ſcalprum principi cauſæ ſubmini-

ſtrat: Et nihilominus in argumento politico, ſicuti dicebamus, & generis deliberatiui, ſi quid foro ſubſeruientes, & cauſæ de lechytis oratoriis deprompſiſſemus, recuſari facilè poſſit, vituperari certè nō poſſit.

Ad obiectū 9. reſp.

VERVM tu ſacri concilij Nicæni, id quod nono loco in me iactas, auctoritatem atteris. Equidem (frater) huic obiectioni me ſatis ſupérque in meo libello ſatisfeciſſe putabam, purgabo me rurſus tamen
52. aliquanto longius. Quid ais contra me? Diſcedi nec poteſt, nec licet à cōcilio œcumenico, quale Nicænum fuit: ſanè mi frater, ſacroſancta ſemper habenda eſt apud omnes Chriſtianos cōciliorum, & ſanctorum patrum venerāda maieſtas, veruntamen longè me noſti melius, conciliorū, & ſanctorum patrū decreta in duplici verſari diſcrimine: vno, quod vel ad ius diuinum pertinet, vt ſunt articuli fidei, vel ad ius naturale, vt ſunt ea quæ ad mores ſpectant: altero, quod ius poſitiuum reſpicit de rebus, quibus humana ſocietas melius hoc modo quàm illo in Chriſtiana fide & caritate conſeruetur, & amplificetur. Primum genus, quādoquidem ex inſtitutione diuina, vel ex lege naturæ ſuam vim obtineat, mutari nulla ratione poteſt: ſecundum

cuius

cuius moderatrix eſt,ſempérq; fuit ἐπιείκεια illa, quam in qualibet republica & principe neceſſariam eſſe docuerunt Ethnici Philoſophi, cùr à ſummo pontifice, totius reipublicæ Chriſtianæ principe,ac rectore mutari per moderatam, & æquabilem interpretationem, ſeu diſpenſationem non poſſit? Et ſi poſſit, hoc eſt, iure poſſit, quidni liceat? At ſi poteſt, & licet, cur tu nec poſſe, nec licere dicis? præſertim cùm ſummus põtifex in diplomate ſuo ad ſingulos Chriſtianos principes nuperrimè miſſo, dũ perquirit vtrum expediat, ſatis & poſſe, & licere ſibi, ſi modò velit, teſtatum omnibus liquidò faciat? Sed non id modò agimus neque vtrum liceat firmiſſimos, & rectiſſimos concilij Nicæni canones abrumpere, vel immutare, vel corrigere, vel interpretari aliquo modo diſputamus, antiquam, auguſtam, ſanctam, inflexam atque illibatam Nicænorum patrum de celebritate paſchali normam in ſua firmitate, auctoritate, integritate, ſoliditate permanere volumus, & laboramus: & cùm noſtra tempeſtate de Calendarij correctione certamus, & de dierum aliquot ſilentio plurium, vel pauciorum diſſerimus, Nicænum, imò Pontificium, imò Apoſtolicum

paſchalem canonē ſemper, & vſquequaq; integrū,intactum, inuiolatúmq; tenendū eſſe cenſemus.Etſi qui modò ſint, qui ſententiam noſtrā de affigendo æquinoctio ad 25.diem Martij per dierū 13.vel 14.decurtationē ſacroſanctum concilij Nicæni decretū infringere, vel labefactare, vel quaſſare clamitent,eos quid canō paſchalis Nicænus præcipiat minus intelligere,vociferari cogar. Ecquid aliud, ſodes, paſchalis ille canon habet, præterquam q̃ ab antiquiſſimis & ſanctiſſimis Romanis pontificibus decretū olim fuerat,ſanctiſſimū paſcha in dominica die coruſcare, quæ poſt 14.lunā ſit,quæ luna vel in æquinoctio verno, vel poſt illud proximè fulgeat? Si opinio noſtra ne tantillum quidē ab hoc ſanctiſſimo,& venerabiliſſimo canone diſcedit(nam omnia requiſita de die reſurrectionis Domini,de plenilunio, de dierum cum noctibus æqualitate, ſumma fide, ſummáque religione obſeruat)quis à concilio Nicæno diſcedere nos, affirmare audeat?Dicas,etſi in eodem fine ac propoſito opinio iſta tua cum Nicæniano decreto conſentit,tamen in modo vehemēter diſſentit: Nam patres Nicæni æquinoctium poſuerunt in 21. Martij, tu excurris ad 25.

Auſculta

Auſculta, frater mi, nec de æquinoctio in 21. Martij die figendo decreti vox vlla extat, non modò Nicæni concilij, imò ne Romani quidē poſt Nicænum cōtinuò hanc ipſam ob rem coacti, nec Antiocheni, vel Calcedonenſis paulò poſt ſubſequutorũ. Nec ſiquis extitiſſe diceret, de Synodibus ſanctis mereretur ſanctè: perpetuũ enim, ac proinde ſolidũ, ac rectum (obſeruata Iuliana anni decempeda) eſſe hoc pacto nequiuiſſet. Deinde quid mali eſt, in via ſi modicũ diſtamus, modò in termino penitus cōueniamus? Et quanti refert ſi hac vel illa ſemita incedamus, modò in idē hoſpitij ad veſperã diuertamus? Quòd ſi adhuc inſtes: hoc ipſum diſplicet, ídq; potiſſimũ vituperamus, ſemitis vti diuerſis à patribus antiquis. Cur ergo vos dierum quicquã demitis? Cur non, vti modò cenſetur, æquinoctiũ in 10. die relinquitis? Cur nouos cyclos fingitis? Cur intercalandi rationē ſecularibus biſſextis omiſſis reformatis? Cur nō ab Alexandrino antiſtite ſingulis annis feſtiuitatis expectatiſſimè certam diē opperimini? Deniq; vt omnē iſtum obicem repulſemus, norma illa Nicæniana rectiſſima certè eſt, ſempérque fuit, rectáque ſtabit dum mundus ſtabit, neque nos ab ea

hilum

hilum deflectere vnquam cogitauimus: abſit à nobis hoc; errores qui modo non immeritò culpantur, & corrigendos eſſe fatentur omnes, non ex hac Nicæniana ſemper victrici regula promanarunt, ſed ex Dionyſij Abbatis cognomento Minimi computis, vti dicunt, haud certiſſimus, cyclis varis, canonibus diſtortis, qui Dioniſiaci cycli ſi penitus tollantur, & pro eis veriores ſubſtituantur, non multum piaculi admitti, nec præiudicij quicquam ſanctiſſimo Nicæno concilio (quod annos circiter ducentos præceſſit) fieri poſſe video: Et tamen quicquid à nobis contra Miniminianos canones patratum fuerit, qui æquinoctium affigimus in 25. vel in alia quota illa ſit, in qua fuiſſet dum Chriſtus ſalutem noſtrã operabatur in terris, idem protinus ab iis, qui in 21. vbi concilij Nicæni temporibus repertum fuit, affigendum autumant, patratum iri in comperto eſt.

Ad obiectum decimum reſpon.

A T multa obſtare inquis, hæc erat vectiș decima, qua opinionem noſtram ſubuerti poſſe metuebas, Calendariorũ perturbationẽ, nouorum librorũ confectionem,
53. oneroſam ſacerdotibus eorumdem coemptionẽ: Sed quãtula hæc ſunt (bone Deus) præ veri, ac legitimi cultus diuini ad Chri-
ſti

ſti Dei omnipotentis gloriam inſtauratione:Nónne pauciſſimis annis, ac pauciſſimorum hominum perexiguo diſpendio hæc omnia longéque maiora incommoda reſarcientur? Num deſunt in eccleſia Dei præſtantes viri,& magnifici,qui rerum potiuntur,& ſuis opibus, ſua liberalitate, ac pietate inopiam alienam ſubleuare poſſunt,& volunt? nónne doctorũ hominum ſcripta etiam extant,qui vnico tantùm vel altero foliolo ſingulis breuiaribus, & miſſalibus immutato, & concinnato cunctis incommodis, atque damnis medicinam ſe facturos ilicò polliceantur?Nónne Chriſtiana caritas requirit, imo etiam atque etiam expoſtulat,vt pauculæ ætatis homines pro maxima totius eccleſiæ Chriſti ad multa ſæcula perduraturæ vtilitate,incolumitate,dignitate tantillũ laborẽt, & detrimenti aliquid patiantur?Et tamen hæc eadem omnia,vel certè non multo minora, nec pauciora conſequentur incommoda iis, qui decem, atque iis,qui quatuordecim dies deterendos eſſe arbitror.

IAM expediendi teli tempus eſt,ac ſi iaciatur etiã retundendi,quod 21. loco poſſe in me nõ fruſtra mitti putaret aliquis. Cõcedimus(dicat)vniuerſa quæ adſtruis,fatemur Ad obiectum vndecimum reſpon.

54. mur in religione Chriſtiana non minima
eſſe momenta ſacrorum temporum, aſſentimur plus vno die quàm alio noſtras orationes poſſe Dei miſericordiam permouere, non imus inficias ſanctos quoque paratiores eſſe, procliuioréſq; noſtras preces audire, próque nobis intercedere plus vno die quàm alio: verùm hæc de feſtis ab eccleſia ſancta ordinatis, ſtatutis, conſacratis intelligenda modò ſunt, ſiue dies illi ſint verè qui ſecundum legitimam cœlorum reuolutionem ad nos redierint, ſiue non ſint. Quid enim rei habet cum religione natura? aut quid iuris in animos noſtros obtinent cœleſtes orbes? nam ſicut gratiores Deo preces noſtræ ſunt, & ad impetrandum quód-vis efficaciores, quæ fiunt in tẽplis Deo cõſacratis, atq; id non
3. Reg. 8. ſolùm propter loci reuerentiam, ſicut Sa-
Act. 17. lomon quoque petiuiſſe Deum legimus,
Tertul. Apol. c. 19. verumetiam quòd cùm colit cœtus omnis, & aggregatur ad Deum, cùm quaſi
D. Amb. lib. 1. in Luc. manufacta templa precationibus ambiũt orantes, grata eſt hæc vis Deo, ſicut ſcribit
D. Chry. ad Po. Ant. ho. 79. Tertullianus, quódque ſingulis petentibus negaturus fuerat, vt vult D. Ambroſius, multorum vnanimitate precantium
D. Oſius Card. ferè tribuit: quando, vt D. Chryſoſtomo
placuit

placuit, non ita Dominum per nos ſolos orantes, audimur, vt cum fratribus noſtris, Ita per dedicationem alicuius diei in honorem ſanctorum & per vnanimitatem, vinculúmque caritatis ex conſenſu populorum ſupplicantium, non poſſumus negare in aliquo die preces noſtras eſſe validiores, efficatioréſque quàm in alio, verùm diſcrimen verſatur non in diei natura, ſed in diei ritu eccleſiaſtico, & conſenſu fidelium, ſanctificatione, & concelebratione.

His quæ mihi aliquantò melius obiiciuntur, ſic reſponſum eſſe velim. Indubitatum eſſe apud me, nō modò permultùm roboris, atque efficientiæ reſidere, vt preces noſtræ Deo gratæ ſint in ea dierum ſanctificatione, qua ex eccleſiæ conſenſione, & conſuetudine feſta celebrantur, ſiue tempore ſuo celebrantur, ſiue non ſuo, ſed in illis ipſis diebus quos ſuos, & proprios dicimus feſtiuitatum, nihil omnino virium per ſe ineſſe credimus vt melius orationes noſtræ exaudiantur, niſi quatenus eiuſmodi dies forent ad id ab eccleſia conſtituti, & ſanctificati: turpitérque etiam, & damnoſè errare illos putamus, qui ſine eccleſiæ auctoritate in iis diebus quos ſuos

& pro

diana vel ſinno nos componentes veſperi, vel de ſtrato ſurgentes manè, confitemur dum in manus domini commendamus ſpiritum noſtrum, & veritatem in obſeruatione ſui cultus tantoperè contemnemus? Scimus Deum requirere veritatẽ, *diligite Dominum omnes ſancti eius, quoniam veritatem requirit Dominus.* Nouimus illum cuſtodire veritatem in ſæcula, non ignoramus Chriſtũ genuiſſe nos in verbo veritatis, & aberrare à veritate adhuc paruipendemus? ſancti nil aliud precati ſunt quàm dirigi in veritate. nil aliud profeſſi ſunt, quã diligere veritatem, nil aliud concupiſcere teſtati ſunt, quàm viam veritatis eligere, & obſiſtere veritati nos, potius quàm inſiſtere in illa, cogitabimus? Veritas Domini manet in æternum, mandata domini, veritas ſunt, omnes viæ Domini veritas ſunt: Et nos veritatem quam facilè tenere manibus noſtris poſſumus, à feſtis diebus repellimus? Quid plura? principium verborum Domini veritas eſt, lex Domini tota veritas eſt, & nos veritatem, quæ de cœlo nobis reluxit, ignorantiæ, vel potius ſomnolentiæ noſtræ nebulis obſcurari patiemur? nónne ſanctificare Dominum iubemur in veritate? & in ſanctificandis feſtis Domini

Pſal. 30. Pſal. 39. Pſal. 24. Pſa. 145. Iac. 1. Pſal. 24. Pſal. 50. Pſal. 29. Pſa. 116. 86. & 118. Pſa. 118. Ioan. 17. 1. Cor. 13. 2. Cor. 4. Gal. 4. Pſa. 11.

tranſilire limites veritatis nō erubeſcimus? obſecro te, frater mi, vide caritatem congaudere veritati, conſidera nobis non ambulandum iam eſſe in aſtutia, ſed in manifeſtatione veritatis. Attende ſi veritatem Euāgelij volumus permanere apud nos, veritatem nobis à temporibus apoſtolorum in ipſa temporum diſcretione, & ſanctificatione præſcriptam, eſſe diligentiſſimè ſeruandam, ſecus ambulare minus rectè ad veritatem Euangelij deprehendemur. Lapſu temporum diminutæ fuerunt in temporibus veritates à filiis hominum, cur errorem ſenſim, & furtim irreptum nō actu tum, & manifeſtò curamus? Vt ſic domino in veritate ſeruiamus, ſic dominum in veritate diligere dicamur, ſic ambulare cum domino in ſimplicitate ve-
Iob.3. ritatis reperiamur: Sic tanquam Dei coo-
Ioan.3. peratores eſſe in veritate & laudemur, & præmiemur.

RVRSVS obiicias, Ergo dies obſeruandi nobis erunt, & tempora, id quod libertati Chriſtianæ repugnare vel cum primis
Gal.4. docebat Galatas D. Paulus. *Dies obſeruatis, & menſes, & tempora & annos, timeo vos, ne*
56. *forte ſine cauſa laborauerim in vobis.* Hæreticorum antiquiſſimorum olim & noſtrorum

rum Lutheranorũ modò contra matrem noſtram eccleſiam ſanctam oggannitio ſatanica hæc eſt: ſed moliantur vulpes quantumlibet, nunquã demolientur fundamenta firmiſſima eccleſiæ Catholicæ, quæ Spirituſſancti docta magiſterio ne plurimorum maximorũ mque Chriſti Dei noſtri beneficiorum in animis noſtris memoria obliteraretur certos dies per anni circuitus diligentiſſimè inſtituit, qui præ cæteris tantorum beneficiorum commemoratione eſſent inſignes, & quibus fideles curis aliis ſoluti ſoli Deo, rebúſque diuinis inſeruientes ſuo munere fungerentur: neque aliud ſpectauit ſine dubio ſancta eccleſia in hac certorum dierum præſcriptione, quàm vt ſinguli Chriſtiani admonerentur eorum quæ Deus pro ſua ineffabili bonitate tam plena manu conferre dignatus eſt, & repoſitum tempus aliquod habemus, quo diligentius eorum contemplationi vacare liceret. Dices vtcunque id ſit, dies tamen, & tempora obſeruare non licet. Ethnicorum quidem vana ſuperſtitione, vel obſoleta & mortifera iam facta Iudæorum obſeruatione certè non licet, ſed eo modo quo Eccleſiaſtico ritu atque intentione inſtituta ſunt, & li-

cet, & Deo placet, haud ſanè quòd tales dies ſint, vel talia tempora natura ſua: ſed quia in eiuſmodi diebus, vel temporibus ſingularia Chriſti beneficia in nos recolamus, ſingularia incarnati verbi myſteria celebrentur, ſingularia ſanctorum Dei ſacra myſteria venerentur. Ergo non dies obſeruamus, non tempora: quoniam operum noſtrorum inceptiones non ſuperſtitioſa mathematicorum obſeruatione auſpicamur, vt Pagani, nõ obſcuratas, & iam ſilentes Neomenias, vero ſole multo ſplendidiori lunæ adiuncto captamus: ſed Chriſti Dei noſtri myſteria ſacratiſſima, ſanctorum Dei martyria fœliciſſima ſuis in diebus propriis, ſuiſque ſacris, & beatis temporibus celebrari ſtudemus, vt vnus Deus in illis piè, & ſalutariter adoretur, &

Marti. pont. 26. q. 1. non licet & ſeq.

D Aug. in Enchi. 1.

57. ſanctificetur. Quis ignorat admirabilem quandam curam, & ſolicitudinem extitiſſe matris noſtræ ſanctiſſimæ in diſtribuendo per certas ſolemnitates anni filiis ſuis, quaſi lacte mulſo de ſacris vberibus, vt ex hac diſtributione, eorum quæ credere nos oportet, ſi modò ſalui eſſe volumus, ita admoneremur nunquã vt elabi de memoria noſtra poſſent, ſic incarnationis, natiuitatis, paſſionis, reſurrectionis, in cœlũ aſcenſionis

ſionis, Spiritusſancti miſſionis aliorumq; nonnullorũ Chriſti myſteriorum, beneficiorúmq; excellentiſſimorũ voluit pia mater, & munifica quotannis etiã idiotas, etiã quantumuis ruſticos homines facillimè certis diebus ad hæc rememoranda conſtitutis admoneri. Et à principio quidem hæc ipſa, quæ modò habentur tempora, optimè veriſſiméque congruebant cum veris, & ſuis rerum geſtarum temporibus, vtinam faſti gentilitij, & Romanorum imperatorum Kalendæ nobis fucum non feciſſent, ſed nos dum in ſupputandi anni rationem Ethnicis adhærere maluimus, quàm quæ de ſacris literis excipi potuiſſet meliorem rationem ſequi, à recto tramite per eccleſiam nobis olim quàm optimè directo, nimium iam, heu nimium, aberrauimus. Detecto errore & via tutiſſima erroris corrigendi deprehenſa, cur ſacroſancta myſteria, fidei noſtræ luminaria, caritatis noſtræ fomenta ſuis diebus ſacris, veris, integris ab eccleſia primitus conſtitutis non reſtituimus? vt veritate rei cum inſtituto eccleſiæ noſtris ritibus concinente quaſi cum triplici funiculo, animi noſtri in amore Dei, rerúmque ſupernarum arctius conglutinentur? inter hæc ſalutis no-

ſtræ myſteria ſingulis annis repetenda eccleſia interſerit, nonnullas etiam alias feſtiuitates ſanctorum, imò vniuerſum anni quaſi agrum quotidianis ſanctorum, ſanctarúmque feſtiuitatibus ſeminauit. Et
D.Bern. in ſer. in vigil B. Petri & Pauli. hoc tribus potiſſimum rationibus: tria enim ſunt, vt ſancti viri nos admonuerunt quæ in feſtiuitatibus vigilanter conſideranda ſunt. Primum eſt auxilium ſancti, qui iam caritate auctior in cœlo, & potentior ante faciem Dei oret pro nobis. Secundum eſt exemplum ſancti, vt humilitatem operum eius attendentes, videamus, quomodo luxerit in tenebris. Tertium eſt confuſio noſtra, quia homo ille ſanctus ſimilis nobis fuit, cur nos ipſos non acriter increpamus, ſi opera non facimus, quæ ille fecit, & ſi veſtigia illius nõ ſequamur quæ ille nobis impreſſit? Redeant ſuis propriis locis ſanctorũ ſolemnitates; & veri tate ſic cum vſu eccleſiaſtico conſonante feruẽtiores erunt ſine dubio preces noſtræ ad ſanctorũ patrocinia in cœlo regnantiũ impetrãda, ſtudia noſtra intẽſiora erunt ad eorũ veſtigia fortiter indaganda, & conſequenda, increpationes noſtræ latus humanæ delitiæ ſtimulis acrioribus cõfodient. Inde nobis apertiſſimũ erit vti Iudaicum

ſit

ſit vel ethnicũ dies, & tempora obſeruare, dierũ vel temporum intuitu, ita Chriſtiani ac verè pij hominis eſſe tẽporũ atq; dierũ diſtinctionibus, & obſeruationibus ab Eccleſia nobis inſtitutis, iniunctis, ſanctificatis myſteria Chriſti, & martyria ſanctorũ ſui: diebus & temporibus concelebrare.

POSTREMO tandẽ admonitum me eſſe voluiſti, opinionẽ illã de incertitudine diei paſſionis dominicę, & de certitudine annũciationis beatiſſimæ Mariæ virg. ac natiuitatis filij eius Dei noſtri, vehemẽter improbari à doctiſſimo viro, qui etiã contra affirmet longè nobis certiorẽ eſſe diem in quo dominus paſſus eſt, quàm in quo natus, vel conceptus fuit: ſed quomodo acuti, atque eruditi homines ſuũ paradoxa confirment ex tuis vix dum litteris percipere potui: duobus enim tantũ verbis rẽ expediuiſti. Certitudinẽ temporis paſſionis haberi ab euangeliſtis, certitudinem natiuitatis, & conceptionis percipi tantũ ex dierum calculis: vnde fortaſſis inferre voluerũt, quoniam euangeliſtę fallere, vel falli nequeũt, calculis circumuolutionum cœleſtium in procliui eſſe fraudẽ nobis fieri, diem paſſionis eſſe certiſſimam, dies vel natiuitatis, vel conceptionis non eſſe æquè certos: ſed

Ad obiectum duodecimum reſpon.

58.

vtrobique latet error non minimus. Nam neque ſacri euangeliſtæ quicquam certi de certa paſſionis dominicæ die prolatum eſſe voluerunt, & calculis motionum ſupernarum quatenus ad hos prædictos, ſanctiſſimos, auguſtiſſimos dies ſpectat, fali hominum genus vix poteſt. Quid enim habemus ab euangeliſtis de die paſſionis dominicæ, præterquam quòd fuit cum paraſceue, tum prima azymorum, ſed vocem illam παρασκευῆς à diuerſis magnis ecclesiæ doctoribus, diuerſo modo acceptam fuiſſe non ignoramus, aliis ad præparationem ſabbati vt ſignificet 6. feriam: aliis ad profeſtum Paſchatis, vt quamuis feriam exprimat, illam referentibus. Et primam Azymorum alij ad Lunam decimam, in qua agnus paſchalis ſegregaretur, & probaretur, alij ad diem ante primam azymorũ, alij ad ipſam diem paſchatis, alij ad alios quoſquos dies in quibus fermentato pane vti nõ liceret, applicauerũt. Quî fieri ergo poteſt, vt in tanta maximorum hominum varietate quicquam certi adſtruere poſſimus? præterea ſi de anno in quo dominus paſſus ſit non inter doctos
59. conuenit, quomodo conueniet de die? Et ni conueniat, quomodo certam ſentẽtiam

non

non ſine aliqua temeritatis nota pronunciemus? Quid? ſi hac tempeſtate aliqui & ſuperiori etiam ætate multi reuolutis cœlorum gyris neque ad ipſa magni Soteris tempora (prolatis etiam tabulis) ſicut à doctiſſimo, & perdiligẽtiſſimo mathematico Io. Stadio factum eſt, diem dominicæ paſſionis nõ in menſe Martio, ſed in Aprili accidiſſe probent? Quid ſi antiquiſſimos Eccleſiæ doctores ſanctiſſimos, inter ſe de 60.
hac re certaſſe, & adhuc certare certiſſimum ſit, quomodo certitudinem aliquam in ea hactenus haberi dicamus? Nónne ſcimus præter eos qui in meo libello nominatim adducti ſunt, etiam Roggerium Dacchonem theologum, & mathematicum egregium ad tertium diem Aprilis paſſionem domini extendiſſe: Ioannem autẽ de Monteregio ad vndecimum quoque eiuſdem menſis diem voluiſſe illam producere? Paulum vero Burgenſem pietate, ac doctrina virum laudatiſſimum nouam rationem, & à communi opinione diſſentientem, nónne ſcimus inuexiſſe? vtinam mihi Io. Lucidi in iſta ſolitudine, & variorum librorum penuria, contigiſſet ſcripta luculentiſſima videre, is arte mecum vel ſentiendo, vel diſſentiendo mul-

tó lucidiorem noſtram diſputationem feciſſet: ſed quid in luce meridiana lucidio-
61. rem lucem quæremus? Num Eccleſiæ ſanctæ catholicæ matris, ac doctricis noſtræ iudicio ſtare volumus? quídni velimus? Eccleſia ſancta catholica nónne permittit Græcis conſecrare in fermentato? imò nónne ſi quis Græcorum apud ſuos conficere ſanctiſſimum Chriſti corpus in azymis attentaret, ſtatim eccleſia ſancta coerceret temeritatem hominis, damnarétq;? Græci quid afferunt potiſſimum vt ſuum ritum defenſent? nónne hoc, quòd Ieſus Chriſtus ſacram cœnam extremam cum diſcipulis Luna 13. & non 14. celebrauerit? Ergo fundamentum hoc non omnino improbatur ab Eccleſia catholica. Age modò, quid nos Latini? Cur ſacroſanctum ſacrificium peragendum potius in azymis ſit, quàm in fermentato, quid adducimus? ſanè quòd Chriſtus Luna 14. & non 13. ad veſperas cùm fermentati nil in ædibus Iudæorum reperiretur. At ſi dominus Ieſus 13. primi menſis die cœnauit, paſſus eſt Luna 14. quæ eſſet παρασκευῆ paſchatis, vt volunt Græci: ſi verò cœnauit 14. paſſus eſt decima quinta, quæ eſſet ipſe-met dies feſtus paſchatis, & paraſceue ſabbati hebdomadalis

domadalis: alterum horum veriſimilius putat eſſe Eccleſia: alterum minus improbandum voluit. Ergo de ipſo die paſſionis dominicæ ſancta Eccleſia mater noſtra certa non eſt: ergo certitudinem huius diei aſſerere, judicium Eccleſiæ ſanctæ eſt conterere. Contra verò num dies natiuitatis & incarnationis domini ad vigeſimam quintam vel Decembris, vel Martij acciderint, dubitare, à pietate non modicum videretur aberrare. Eos autem dies eſſe, ſempérq; fuiſſe certiſſimos æquinoctiorū & ſolſtitiorum ipſa certiſſima, & perpetua ratio, quæ vel ſenſu percipitur facilè nos docere poteſt, de quibus ſubtilius diſputare, vel de iis certi quicquā aſſerere ſupra vulgarē, & tritam, quam de illis opinionem vulgus habet nec inſtituti, nec facultatis eſt: populares ſumus, loquimúrque populariter. At populo non eſſe populari modo notiſſimos, & certiſſimos dies tropicos, & æquinoctiales, ſenſum ipſum foret negare. Et ſi de æquinoctij ſiue veri, ſiue medij difficillima indagatione quiſpiā fortaſſe tergiuerſetur, de tropicis certè notiſſimam atque apertiſſimam certitudinē diſſimulare nō poteſt, qui vel fœminis, & pueris compertiſſimi ſunt vbique: apud

Eccleſiam

Eccleſiam certè quæ in mea dioceſi nobilioris oppidi ſit, propter vallis, & circumſtantium montium mirandam ac propè monſtruoſam altitudinem, ita vt vniuerſis diebus brumalibus ſol vix ad ſeſquihorã luceat, nullus planè eſt in ea ruſticitate, qui diem breuiſsimam ortu atque occaſu ſolis nõ veriſsimè obſeruet faſtigiis montium, quaſi aſtrolabĩo vſus.

62. HAEC ſunt, mi frater cariſsime, & ornatiſsime, quæ tuis litteris, pro mei libelli defenſione, & ſacrorum temporum, ſimul cum ſacris locis aſſertione, ſatisfacere poſſe putabam: ſi tantùm hoc vnum adiecero. Cuncta me quæ in hoc loco, vel in meo libellulo, vel etiam alibi ſcripſerim, ſcripturúſue poſthac ſiem, Eccleſiæ ſacroſanctæ Romanę iudicio ſubdita ſemper eſſe velle, voluiſſéque: Neque à me quicquam vnquam eſſe aſſertum, ſcriptum, dictum, cogitatum, quod determinationibus Eccleſiaſticis obſiſtere, vel aduerſari quoquo modo poſsit, ſtudere, ſempérque ſtuduiſſe. VALE, frater mi, in domino Deo noſtro Ieſu Chriſto.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

FINIS.